DISPVTATIO DE ENTE REALI.

I.

ENS vel opponitur nihilo puro, vel nihilo exiſtentiæ actualis, vel nihilo ſubſiſtentiæ, vel nihilo poſitionis. Nihil purũ dicitur illud quod eſt prorſus impoſſibile, quod nullo modo & nulla virtute poteſt eſſe, quod eſt repugnans, quod implicat contradictionem, & quod in ſuo conceptu includit prædicata contradictoria, vt Deus corporeus, quadratum rotundum, &c. Ideo ens provt opponitur puro nihilo, dicitur illud quod non eſt impoſſibile quod eſt aut poteſt eſſe, quod non eſt repugnans, quod non implicat contradictionem & quod in conceptu ſuo non inuoluit prędicata contradictoria, vt Deus, homo &c. Hoc ſenſu res, antequam exiſtant actu, non ſunt putum nihil, & entitatem aliquam diminutam includunt; eò quòd non repugnet eas exiſtere, vt alter Sol, mons aureus in territorio Pariſienſi &c. Hoc ſenſu etiam modi entium, aut accidentia, vt ſeſſio, ambulatio, &c. Verè dicuntur entia; quia non repugnat ea exiſtere, ſed ſunt aut poſſunt eſſe. Denique, hoc ſenſu priuationes & negationes poſſunt dici entia; quia licet ſint nihil purum poſitiuum, eò quòd nihil ponant, ſed aliquid tollant; non tamen ſunt purũ nihil abſolutè; eò quòd poſſint dici eſſe à parte rei, quatenus ſcilicet actu exiſtũt aut exiſtere poſſũt, vt cęcitas in oculo, carentia viſus in lapide.

2. Nihil exiſtentiæ actualis dicitur illud quod non exiſtit actu, ſed poteſt exiſtere, vt alter Sol. Ideò ens provt oppoſitum nihilo exiſtentiæ actualis, eſt id quod actu exiſtit, vt hic Sol qui iam illuminat mundum. Hoc ſenſu modi aut accidentia actu exiſtentia, necnon priuationes & negationes actu exiſtentes, poſſunt dici entia; ea verò quæ non ſunt actu, ſed poſſunt eſſe, non ſunt entia. Nihil exiſtentiæ actualis dicitur ab alijs nihil ſimpliciter: Et ens provt oppoſitum nihilo exiſtentiæ actualis dicitur ens ſimpliciter: Sicut enim ille dicitur ambulans ſimpliciter & præciſè, qui actu ambulat; ille verò qui nõ actu ambulat, ſed poteſt ambulare, dicitur ambulans, non ſimpliciter & pręciſè, ſed ambulans potentiâ: Ita ens ſimpliciter dicitur illud quod actu exiſtit; Illud verò quod non actu exiſtit, ſed poteſt exiſtere, dicitur ens, non ſimpliciter & pręciſè, ſed ens potentiâ.

Digitized by Google

7. Hæc ſententia Auicennæ ſic impugnatur. Res quælibet, antequam actu exiſtat non eſt purum nihil: Ergo eſt nonnihil ſeu aliquid, & per conſequens entitatem quandam includit. Antecedens ſic probatur: Purum nihil eſt prorſus impoſſibile, atque adeo pro omni tempore eſt improducibile, ideſt nunquam poteſt produci, & nunquam poteſt terminare actionem efficientis: Sed res antequam actu exiſtat non eſt eiuſmodi; eò quòd ſit poſſibilis, producibilis, & capax terminandi actionem efficientis pro aliquo tempore. Et reuerà, ſi res poſſibilis eſſet in ſe purum nihil ſequeretur poſſibile non differre ab impoſſibili, quod etiam eſt purum nihil: cum inter duo pura nihil nulla ſit differentia; ſicque homo poſſibilis & chimæra impoſſibilis non differrent, quod eſt abſurdum.

8 Reſpondet Auicenna, hominem poſſibilem, & chimæram impoſſibilem, non differre realiter, ſi ſpectentur abſoluté & in ſe, quia vtrumque in ſe nihil eſt: ſed differre connotatiuè: eò quòd homo poſſibilis connotet potentiam productiuam hominis; chimæra verò impoſſibilis connotet negationem potentiæ productiuæ chimææ.

9. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Si homo poſſibilis & chimæra impoſſibilis in ſe & abſoluté non differant realiter, non debent etiam differre connotatiuè: ſi enim in ſe & abſoluté ſint idem, non poteſt reddi ratio cur homo poſſibilis connotet potentiam Dei, & aliquo modo contineatur in ea, non autem chimæra impoſſibilis: Nam Deus, aut potentia eius, æqualiter & eodem modo reſpicit ea quæ ſunt paris conditionis, & quæ ſunt idem realiter in ſe: Et concipi non poteſt, quomodo ea quæ in ſeipſis ſunt vnum & idem, habeant diuerſa attributa & connotata.

10. Reſpondet Nottericus in ſuis primis theſibus quòd potentia agentis æqualiter reſpiciat ea quæ ſunt paris conditionis, ſi ſit quæſtio de agentibus creatis, quæ exerunt effectus dependenter à conditione ipſarum rerum, non autem ſi ſit quæſtio de agente increato, ſcilicet de Deo, qui nec dependēter à conditione rerum operatur, nec reperit in te tales conditiones: nam pura nihil nullam omnino habent conditionem, ideſt vnum non habet entitatem quæ ſit conditio ad productionem qua careat alterum, niſi per conditionem intelligas ſtatum; & tunc Deus poteſt mutare ſtatum vnius & non alterius iuxta ſuam ſapientiam. Ampliùs enodatur difficultas (inquit) ſi conſideremus eandem eſſe menſuram recti & obliqui; & ideo ſi ſapientia diuina diffundit ſuam imaginem in obiecta, quæ ante participationem eius ſunt purè non entia, & quæ nullum impedimentum præbent aut reſiſtentiam actioni diuinæ; ex oppoſito eandem ſapientiam, dum denegat influxum imaginis ſuæ rei quæ dicitur impoſſibilis, nullam omnino reperire reſiſtentiam in illa: ſi rurſus illud non ens, quod participat imaginem Dei, & recipit entitatem, menſuratur à ſapientia diuina, ita vt tota entitas quam recipit refundatur in diuinam bonitatem & ſapientiam; etiam ex oppoſito illud non ens, cui denegat Deus entitatem, menſuratur à diuina ſapientia, ita vt

alioquin eſſet agens neceſſarium, non liberum; adeo vt ſi poſſit facere hominem eſſe rationalem, poterit etiam facere hominem non eſſe rationalem, quod eſt abſurdum. Denique, ſaniores Theologi ſtatuunt Deum in iuſtificatione & condemnatione hominum operari ſecundùm ius virtutibus temperatum, Deum condemnare dependenter à peccato, iuſtificare dependenter à fide &c. quæ dependentia non eſt tanquam à cauſa efficiente, ſed tanquam à conditione neceſſariò ad agendum requiſitâ. Cæterùm quemadmodum non dependet à Deo vt homo ſit rationalis, & ignis ſit calorificus; eò quòd non poſſit facere vt homo ſit non rationalis, & ignis non calorificus: Ita etiam non dependet à Deo vt homo ſit poſſibilis, & chimæra impoſſibilis; eò quòd non poſſit facere vt homo ſit non poſſibilis ſeu repugnans, & Chimæra ſit non impoſſibilis ſeu non repugnans. Ex ſuperioribus patet, Deum non facere, ſed reperire eiuſmodi conditiones, & connexiones aut identitates eſſentiales in rebus; licet enim faciat hominem, & faciat τὸ rationale, non tamen facit hominem eſſe rationalem; & licet faciat ignem, & faciat τὸ calorificum, non tamen facit ignem eſſe calorificum; ſiquidem hæ propoſitiones: homo eſt rationalis, ignis eſt calorificus, ſunt propoſitiones æternæ veritatis, in quibus denotatur ſempiterna identitas aut potiùs non diſtinctio inter ſubiectum & prædicatum; quæ identitas aut non diſtinctio, propriè non dependet à Deo in genere cauſæ efficientis, cum ab eo tolli non poſſit, ſed tantùm in genere exemplaris: vnde Auguſtinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 8. hæc ait, *tria & quatuor eſſe ſeptem perpetuò verum eſt, etiamſi nihil ſit quod numeretur.* Quod igitur contrariam ſententiam tuentes decepit, eſt, quòd exiſtimarint veram & propriè dictam dependentiam in operando, eſſe tantùm in genere cauſæ efficientis, quo pacto certè Deus non operatur dependenter à conditione rerum. Verùm cum dependere ſit egere alio; manifeſtum eſt Deum dependenter ab alio operari; cum ſæpè egeat alio ad operandum, putà ſubiecto ad productionem accidentis, ſpatio ad productionem corporis, medio ad tranſlationem rei ab vno loco in alium, poſſibilitate tanquam conditione requiſitâ ad productionem cuiuſlibet rei &c.

15. Ad hoc primum dictum noſtrum reſpondet Neotericus hoc pacto. Primò, cum Deus dicitur producere accidens dependenter à ſubiecto, aut corpus à ſpatio, *τὸ dependenter* non cadit ſupra operationem Dei, ſed ſupra accidens aut corpus, quorum natura eſt dependere à ſubiecto & ſpatio: quare ſicut non valet, Deus producit homines qui ſunt vitioſi ex natura ſua, aut vitii capaces; ergo Dei operatio eſt vitioſa aut vitii capax: ſic neque ſequitur, Deus producit accidens dependenter à ſubiecto, ideſt cuius natura eſt dependere à ſubiecto; ergo operatio Dei eſt dependens. Non etiam ſequitur, talis eſt conditio ſeu natura accidentis, vt dependeat à ſubiecto: Ergo Deus operatur dependenter à conditione illa, ſeu iuxta naturam accidentis exigentis illam dependentiam, ita vt illud *iuxta* importet dependentiam: Deus enim non agit verbi gratiâ veluti ſtatuarius, qui iuxta ſtatuam Regis iam exiſtentem

efformat ſtatuam ipſi ſimilem; tale enim *iuxta*, importat dependentiam vt ab exemplari externo: ſed dum producit accidens producit eius dependentiam, neque eius natura etiam in ſtatu poſſibilitatis intrinſecæ & æternæ habuit ante ſe cui conformaretur; quis autem dixerit producere talem naturam rei eſſe dependere ab ipſa? Sicut igitur cùm Rex creat Adminiſtratorem muneris alicuius dependentis ab alio, cuius muneris natura eſt primitus inſtituta à Rege, quin ſimili iam exiſtenti ſe conformauerit, non dicitur propterea Rex dependere à natura illius muneris, quia & liberè produxit naturam illius, & poteſt illud abrogare: Sic neque Deus dici poteſt dependere à conditione ſeu natura accidentis, quia & liberè produxit eius naturam, & potuit non producere, & poteſt tam ipſam quàm ſubiectum à quo dependet annihilare. Simile autem non reperitur in quæſtione de poſſibilitate intrinſeca æterna, ad eam enim ita ſe habet Deus, vt neque produxerit ipſam, neque annihilare valeat, quod arguit veram dependentiam; cum productio creaturarum, vel vnius poſt aliam, vel vnius in alia importet tantùm ſubordinationem & connexionem creaturarum inter ſe, dependentiam Dei ab ipſis nequaquam.

14. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, in hac propoſitione, Deus producit accidens dependenter à ſubiecto, aut corpus à ſpatio, *τὸ dependenter* cadit ſupra *τὸ producit*, atque adeo ſupra operationem: quia aduerbium debet coniungi cum verbo, vt docent Grammatici; ſed *dependenter* eſt aduerbium, & *producit* eſt verbum; ergo *dependenter* debet iungi cum *producit*, atque adeo cadit ſupra *τὸ producit*, & per conſequens ſupra operationem Dei.

15. Secundò, rectè dicit accidens dependere à ſubiecto, & corpus à ſpatio; quia accidens eget ſubiecto ad exiſtendum, nec poteſt eſſe ſine ipſo; & corpus eget ſpatio ad exiſtendum, nec poteſt eſſe ſine ipſo: ſed ſi accidens non poſſit eſſe ſine ſubiecto, nec corpus ſine ſpatio; etiam accidens non poteſt fieri ſine ſubiecto, nec corpus ſine ſpatio; quia ſicut res ſe habet in eſſe, ſic ſe habet in fieri; & cùm res fit, incipit eſſe, & ſi accidens fieret ſine ſubiecto, inciperet eſſe ſine ſubiecto; Et ſi corpus fieret ſine ſpatio, inciperet eſſe ſine ſpatio, quod eſt abſurdum: Iam ſi accidens non poſſit fieri ſine ſubiecto, fieri accidentis, atque adeo productio accidentis, eget ſubiecto ad exiſtendum: Et ſi corpus non poſſit fieri ſine ſpatio, fieri corporis atque adeo productio corporis eget ſpatio ad exiſtendum; quod autem eget neceſſariò alio ad exiſtendum, dependet ab ipſo; cum dependere nihil aliud ſit quàm neceſſariò egere alio ad exiſtendum; & ſic productio accidentis & corporis dependebit à ſubiecto & ſpatio: vno verbo in productione accidentis, vel Deus eget ſubiecto, vel non, ſi non eget, poterit producere accidens ſine ſubiecto, quod eſt abſurdum, ſi verò eget ſubiecto, dependet ab ipſo, cum egere alio & dependere ſint idem: Pariter, in productione corporis, vel Deus eget ſpatio, vel non; ſi non eget, poterit producere corpus ſine ſpatio, quod eſt abſurdum; ſi verò eget ſpatio, dependet ab ipſo; cum egere

alio

Digitized by Google

alio & dependere ab alio ſint idem.

16. Tertio, cùm dicit *homines eſſe vitioſos ex natura ſua:* vel per *naturam* intelligit eſſentiam; adeo vt ex natura ſua & ex eſſentia ſua ſint idem; vel per *naturam* intelligit naturam, non ſimpliciter & præcisè vt naturam, ſed vt corruptam in Adamo & per Adamum: ſi per naturam intelligat eſſentiam, falſum dicitur; homines enim ex natura ſua, id eſt ex eſſentia ſua non ſunt vitioſi; quod enim conuenit eſſentialiter homini, conuenit omni homini & ſemper; at vitioſitas non conuenit omni & ſemper homini, cum non fuerit in Adamo ante lapſum, nunquam fuerit in Chriſto vt homine, nec erit in hominibus beatis poſt reſurrectionem ſi: verò per naturam intelligat naturam vt corruptam, tunc ſimilitudo eſt ridicula; nam homo eſt accidentaliter tantùm vitioſus; accidens verò eſt eſſentialiter dependens à ſubiecto, & corpus eſt eſſentialiter dependens à ſpatio; Deus non eget vitio ad productionem hominis, & ideo non dependet à vitio in productione hominis; at Deus eget ſubiecto ad productionem accidentis, cum non poſſit producere accidens ſine ſubiecto; & eget ſpatio ad productionem corporis, cum non poſſit producere corpus ſine ſpatio: Ergo Deus dependet à ſubiecto in productione accidentis, & dependet à ſpatio in productione corporis.

17. Quartò, cùm addit *aut vitij capaces:* vel per capacitatem vitij intelligit potentiam quandam & inclinationem naturalem ad ipſum; vel intelligit non repugnantiam ad ipſum: ſi prius, non diſtinguitur à vitioſitate, quæ eſt tantùm accidentalis homini, de qua numero præcedenti: ſi poſterius, eſt eſſentialis homini, cum homo non poſſit eſſe ſine tali poſſibilitate aut non repugnantia: & ideo ad productionem hominis Deus eget tali poſſibilitate aut non repugnantia, & per conſequens dependet ab ipſa; nec propterea ſequitur operationem Dei eſſe vitij capacem, ſed tantùm egere tali capacitate ſumpta pro poſſibilitate aut non repugnantia, atque adeo dependere ab ipſa in productione hominis. Quod ſi talis poſſibilitas ſeu non repugnantia non ſit eſſentialis homini, tunc ſimilitudo non eſt ad rem, vt dictũ eſt numero præcedenti.

18. Quintò, cùm dicit, *non ſequitur, talis eſt conditio ſeu natura accidentis vt dependeat à ſubiecto: ergo Deus operatur dependenter à conditione illa, ſeu iuxta naturam accidentis exigentis illam dependentiam, ita vt illud (iuxta) importet dependentiam*; non videtur capere mentem meam: cum enim dico Deum operari dependenter à conditione rerum, id eſt iuxta ſtatum eſſentialem rerum, nihil aliud intendo quàm Deum in operationibus ſuis dependere ab iiſdem à quibus res productæ dependent; & quia accidens dependet à ſubiecto, ideo productio accidentis à Deo, dependet à ſubiecto, & ſicut accidens eget ſubiecto ad exiſtendum, & ideo dependet ab ipſo; ita Deus in productione accidentis eget ſubiecto ad ipſum producendum, & ideo talis productio dependet à ſubiecto, quod ſuprà demonſtraui numero 15. Vis igitur argumenti in eo ſita eſt, quòd res habeat in ſe ſtatum & conditionem, quam Deus nec tollere nec mutare poteſt, putà accidentis ſtatus & conditio eſt vt dependeat à

ſubiecto, quam Deus mutare non poteſt, alioqui poſſet producere accidens ſine ſubiecto, quod eſt abſurdum: fateor Deum producentem res, non intueri exemplar aliquod externum earum; videt enim ſine ipſo ſtatum rerum: fruſtra igitur quæ dixit de ſtatuario.

19. Sextò cùm dicit *naturam accidentis etiam in ſtatu poſſibilitatis intrinſecæ & æternæ, non habuiſſe ante ſe cui conformaretur*; tollit proculduiob Deo cognitionem rerum poſſibilium; poſità enim cognitione rerum poſſibilium, quæ dicitur à Scholaſticis ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ponitur exemplar cui res eiuſmodi ſunt conformes.

20. Septimò, ſic concludit, *quis autem dixerit producere talem naturam rei eſſe dependere ab ipſa*: quibus verbis oſtendit ſe nunquam intellexiſſe ſtatum quæſtionis: Non enim quæſtio eſt an Deus in productionibus rerum dependeat ab ipſis rebus; ſed an Deus in productionibus rerum dependeat ab iis à quibus res productæ dependent; an Deus in productione accidentis dependeat à ſubiecto à quo dependet accidens; partem autem affirmatiuam clariſſimè probaui numero 15. quanquam dici poſſet productionem rei dependere à re, dependentia à poſteriori; productio enim effectus non poteſt eſſe ſine effectu, & ideò eget effectu ad exiſtendum, & per conſequens dependet ab ipſo.

21. Octauò, comparatio inſtituta inter Regem creantem adminiſtratorem muneris, & Deum producentem accidens, ſcatet ambiguitatibus & erroribus, nullóque modo quadrat ad propoſitum. Nam primò, hæc verba, *Rex creat adminiſtratorem muneris alicuius dependentis ab alio*, poſſunt intelligi vel ab alio munere, vel ab alio homine, vel ab alia re; ego intelligo ab alio munere. Secundò, hæc verba *cuius muneris natura eſt primitus inſtituta à Rege*, poſſunt intelligi vel de priori munere, vel de poſteriori; ego intelligo de poſteriori. Tertiò, hæc verba, *ſic neque Deus dici poteſt dependere à conditione ſeu naturà accidentis*, poſſunt intelligi de Deo in ſuo eſſe, vel de Deo in ſua operatione; ego intelligo de Deo in ſua operatione. Quartò, his poſitis, dico compartionem nullo modo quadrare ad propoſitum; quia dependentia vnius muneris ab alio eſt tantùm accidentalis; & ideò Rex poteſt inſtituere vnum munus independenter ab alio; aut ſi eſt eſſentialis, Rex communicat dependenter munus illud dependens eſſentialiter ab alio: At dependentia accidentis à ſubiecto eſt eſſentialis; & ideò Deus non poteſt producere accidens niſi dependenter à ſubiecto. Denique, non intelligit ſtatum quæſtionis; non enim eſt quæſtio an Deus in productione accidentis dependeat ab accidente, ſed an Deus in productione accidentis dependeat à ſubiecto à quo accidens dependet eſſentialiter; quanquam productio accidentis dependeat ab accidente dependentia à poſteriori, tanquam actio à termino aut effectu, vt ſuprà.

22. Addideram hoc argumentum, Deus ſemper operatur dependenter à conditione ſeu ſtatu eſſentiali rerum, id eſt, à connexione (aut identitate) eſſentiali quæ eſt inter ipſas: nam quòd Deus producat ignem calorificum, hominem rationalem &c. pendet à natura ipſarum rerum,

quæ

Digitized by Google

quæ non poſſunt aliter produci & exiſtere; cum Deus non poſſit producere ignem non calorificum, hominē non rationalem &c. Reſpondet autē Neotericus hoc pacto. Primo, homo & rationalis non habent connexionem, quæ eſt tantùm inter res diuerſas, ſed identitatem; & ideo Deus non poteſt producere hominem non rationalem, quia homo & rationalis ſunt idem. Secundò, homo & rationalis non habent identitatem æternam & abſolutam, ſed tantùm conditionatam, id eſt ſi exiſtant, aut quando exiſtent; quæ enim non habent entitatem non habent identitatem; ſed homo & rationalis non habuerunt ab æterno entitatem; ergo neque identitatem.

23. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, loquendum cum multis, ſentiendum cum paucis, vt fert axioma: Et ideo ille non eſt redarguendus qui loquitur ſicut omnes hactenus locuti ſunt: At omnes qui hactenus ſcripſerunt de propoſitionibus æternæ veritatis, dixerunt eſſe connexionem eſſentialem inter ſubiecta & prædicata earum: Imò omnes Philoſophi qui ante me ſcripſerunt, expreſſis verbis docuerunt quamlibet enunciationem ſeu propoſitionem conſtare ſubiecto, copula, & prædicato; copula autem & connexio idem ſunt.

24. Secundò, duplex eſt eſſentiale, ſc. phyſicum & metaphyſicum. Eſſentiale phyſicum dicitur illud quod conſtituit compoſitum phyſicum ſeu naturale, vt materia & forma. Eſſentiale verò metaphyſicum eſt illud quod conſtituit compoſitum metaphyſicum. Eſſentialia phyſica identificantur tantùm in concreto, non in abſtracto; & ideo habent connexionem, non identitatem: Eſſentialia verò metaphyſica identificantur in concreto & in abſtracto ratione entitatis intrinſecæ, diſtinguuntur tamen ratione connotatorum extrinſecorum quibus ſolent explicari. Cum igitur propoſitiones æternæ veritatis poſſint eſſe de eſſentialibus phyſicis, quæ habent connexionem, non identitatem; & de eſſentialibus metaphyſicis, quæ in ordine ad connotata extrinſeca, habent connexionem, non identitatem; non mirum eſt ſi poſuerim connexionem in propoſitionibus æternæ veritatis, non negando indentitatem in propoſitionibus eſſentialibus metaphyſicis ratione entitatis intrinſecæ

25. Tertiò, homo & rationalis ſunt idem materialiter & in concreto, id eſt, qui habet humanitatem, habet etiam rationalitatem: ſed non ſunt idem formaliter & in abſtracto; quia humanitas & rationalitas non ſunt idem adæquatè: Nam rationalitas nihil aliud eſt quàm principium & cauſa ratiocinationis, quæ eſt intellectio; principium autem ratiocinationis & intellectionis eſt ſolus Intellectus; & Intellectus eſt facultas animæ rationalis cum qua identificatur; at humanitas non eſt idem adæquatè cum anima rationali; ergo nec cum rationalitate identificatâ cum anima rationali: Homo igitur eſt principium & ſubiectum ratiocinationis denominatiuè, quia denomiatur & dicitur ratiocinans; nō tamen formaliter, quia ſecundum ſe totum non ratiocinatur, ſed tantùm ſecundum animam rationalem, quæ ideo dicitur principium formale

Digitized by Google

ratiocinationis:Et licet homo concurreret effectiuè ad ratiocinationem, non tantùm ratione animæ,ſed etiam ratione corporis; non tamen adæquatè, ſed tantùm inadæquatè, ſc.ratione cerebri: Et ſic rationalitas reſpectu hominis erit ſemper gradus eſſentialis Phyſicus, non Metaphyſicus; atque adeo rationalitas erit realiter diſtincta ab humanitate. His poſitis,clarum eſt Deum egere neceſſariò rationalitate in productione hominis, cum non poſſit producere hominem non rationalem;& ſi eget ipsâ, dependet ab ipſa; eum egere neceſſariò aliquo, & dependere ab ipſo,ſunt vnum & idem. Denique, productio hominis dependet ab homine dependentia à poſteriori, tanquam actio à termino aut effectu:& ideo licet homo & rationalis,vel humanitas & rationalitas eſſent, idem; attamen productio hominis à Deo exercita, dependeret à rationali aut rationalitate tanquam actio à termino; & per conſequens Deus in ſuis operationibus, id eſt, operationes Dei dependerent à rebus.

26. Quartò, dicit connexionem eſſe tantùm inter res diuerſas, & citat paginam 169.meæ Logicæ à numero 2. ad 22. in qua pagina, & in quibus numeris nihil tale reperitur: Imò, in illis non reperitur hominem & rationalem eſſe idem,ſc. in abſtracto: Quòd ſi alicubi dixerim genus & differentiam eſſe gradus metaphyſicos, hoc debet intelligi de generibus & differentijs metaphyſicis, non autem de phyſicis.Cæterùm, connexio eſt quidem inter res diſtinctas,ſed non eſt ſemper inter res diuerſas; cum res diuerſæ propriè loquendo præter diſtinctionem dicant diſſimilitudinem,quæ non eſt ſemper inter res connexas, putà inter duas guttas aquæ vnitas.

27. Quintò, Pater Neotericum noſtrum eſſe caſſâ fide, ex eo quod noluerit explicare identitatem, prout eam explicaui in Logica pagina 191. his verbis. Per *identitatem,non intelligenda eſt quædam identitas ſimpliciter & abſolutè realis poſitiua & actualis, ſupponens extrema realia poſitiua & actualia,ſeu actu exiſtentia: ſed per identitatem intelligenda eſt non diſtinctio aut non differentia inter ſubiectum & prædicatum, adeo vt ſenſus propoſitionum allatarum talis ſit,homo eſt rationalis eſt propoſitio æternæ veritatis, id eſt, homo & rationalis ab æterno non differunt, & idem ſemper ſignificatur per hominem & rationalem.* Et in Metaphyſica paginâ 10. identitas eodem modo explicatur his verbis: *Hæ propoſitiones, homo eſt rationalis, ignis eſt calorificus, ſunt propoſitiones æternæ veritatis, in quibus denotatur ſempiterna identitas, aut potiùs non diſtinctio inter ſubiectum & prædicatum.* Iam ſumptâ identitate pro non diſtinctione aut non differentia, ſic arguo: vel diſtinctio, vel non diſtinctio, conuenit homini & rationali ab æterno; ſiquidem diſtinctio & non diſtinctio ſunt contradictoria, quorum alterum ſemper conuenit cuilibet enti aut non enti: Sed diſtinctio ſeu differentia non conuenit eis ab æterno; cum ſecundùm Aduerſarium vterque ab æterno ſit nihil; nihil autem non differat à nihilo: Ergo non diſtinctio ſeu non differentia eis conuenit, atque adeo & identitas ſumpta pro non diſtinctione; & per conſequens homo & rationalis habuerunt identitatem ſeu non diſtinctionem æternam.

28.Sextò,

28. Sextò, tandem proponit argumentum conſtans propoſitionibus falſis hoc pacto : Quæ non habent entitatem non habent identitatem: Sed homo & rationalis ab æterno non habuerunt entitatem : Ergo neque identitatem. Maioris falſitas apparet ex eo quòd impoſſibile & purum nihil, cæcitas & priuatio viſus, non habeant entitatem, cum tamen habeant identitatem, ſeu non diſtinctionem; impoſſibile enim & purum nihil, cæcitas & priuatio viſus non differunt. Minoris verò falſitas patet ex eo quòd ab æterno homo & rationalis habuerunt entitatem diminutam, ſc. poſſibilitatem exiſtendi in tempore, quæ poſſibilitas eſt in homine & rationali, non autem in Deo.

29. Confirmaueram argumentum à me propoſitum hoc pacto. Si hominem eſſe rationalem & ignem eſſe calorificum, dependeret à Deo; ſequeretur hominem non eſſe per ſe & eſſentialiter rationalem, ignem non eſſe per ſe calorificum; quod enim eſt tale per aliud, non eſt tale per ſe. Reſpondet autem Neoterius hoc pacto: Homo dicitur per ſe rationalis, prout per ſe opponitur τῷ per accidens, non tamen prout per ſe opponitur τῷ per aliud: ſolus enim Deus eſt ens per ſe hoc modo per quem & propter quem ſunt omnia. Coloſſ. 1. 16.

30. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, diſtinctio τὸ per ſe, prout opponitur τῷ per accidens, & prout opponitur τῷ per aliud, eſt inutilis & ſuperflua, nullóque modo eſt ad rem: nam ego in argumento meo diſertis verbis loquutus ſum de τῷ per ſe prout opponitur τῷ per aliud; & hæc verba expreſſa addidi, quod eſt tale per aliud non eſt tale per ſe. Adde quòd quicquid habet alquid per aliud, illud habet per accidens; quia id non habet eſſentialiter, & poteſt non habere: Ergo ſi homo eſt rationalis per aliud nempe per Deum, erit rationalis per accidens & non eſſentialiter.

31. Secundò, diſtinguendum eſt potius, inter τὸ per ſe prout opponitur τῷ per aliud formaliter, & inter τὸ per ſe prout opponitur τῷ per aliud effectiuè. Res eſt talis per aliud formaliter, quando eſt talis per formam quæ afficit rem, & eſt aliud realiter & adæquatè ab ipſa; verbi gratiâ homo eſt albus per aliud formaliter, quia eſt albus per albedinem, quæ eſt forma afficiens hominem, & quæ eſt aliud realiter & adæquatè ab homine: Res verò eſt talis per aliud effectiuè, quando dicitur talis per id quod produxit aut poſuit formam quæ rem afficit; verbi gratia homo eſt albus per aliud effectiuè, ſc. per eum qui produxit aut poſuit albedinem in homine. Iam res eſt talis per ſe formaliter, quæ eſt talis per formam aut quaſi formam identificatam adæquatè vel inadæquatè cum ipſa; verbi gratiâ homo eſt per ſe formaliter animal rationale, quia eſt talis per animalitatem rationalē, quę identificatur adæquatè cum humanitate; homo etiam eſt per ſe formaliter animatus, quia eſt talis per animam, quæ identificatur inadæquatè cum humanitate; & ſic res eſt talis per ſe formaliter, id eſt, per ſuam entitatem ſiue totalem ſiue partialem: Res verò eſt talis per ſe effectiuè, ſi producat formam quæ afficit

Digitized by Google

ipſam,putà homo eſt per ſe malus effectiuè, quia producit malitiam à qua formaliter dicitur malus.

32. Tertiò, his diſtinctionibus ſuppoſitis, clarum eſt hominem eſſe per ſe formaliter rationalem, non autem per aliud formaliter; quia homo eſt rationalis per rationalitatem, quæ adæquatè vel inadæquatè identificatur cum ipſo, id eſt, vel eſt tota humanitas ſecundum aliquos, vel pars eſſentialis humanitatis ſecundum alios. Iam conſideret Aduerſarius hominem non poſſe eſſe ſine rationalitate; cum non poſſit eſſe ſine ſua eſſentia aut ſuis partibus eſſentialibus: Et ſi non poſſit eſſe ſine rationalitate, non poteſt etiam produci ſine rationalitate, vt probatum eſt numero 15. Et ſi non poſſit produci ſine rationalitate, clarum eſt Deum egere neceſſariò rationalitate ad productionem hominis; & per conſequens dependere à rationalitate in productione hominis; cum egere neceſſariò aliquo, & dependere ab ipſo, ſint idem. Quare, licet homo dependeat effectiuè à Deo, & rationalis dependeat etiam effectiuè à Deo; attamen hominem eſſe rationalem, id eſt, hominem & rationalem eſſe idem aut non diſtingui, non dependet à Deo; Deus enim reperit illam identitatem aut non diſtinctionem in homine & rationali, ipſam autem non facit: Et ſi rationalitas ſit tantùm pars eſſentialis humanitatis; rationalitas pendebit quidem effectiuè à Deo, ſed non pendebit à Deo vt ſit pars eſſentialis humanitatis.

33. Addideram etiam iſtud ad confirmationem mei argumenti. Quod Deus facit ad extra id poteſt non facere, vt aiunt Theologi: alioquin eſſet agens neceſſarium non liberum; adeo vt ſi poſſit facere hominem eſſe rationalem, poterit etiam facere hominem non eſſe rationalem, quod eſt abſurdum. Reſpondet autem Neotericus hoc pacto: Primò Theologi intelligunt de obiecto ſimplici, aut de connexione duarum rerum intrinſecè diſtinctarum; verbi gratiâ Deus poteſt producere vel non producere lapidem, & vel lapidem album vel non album: ſed non intelligunt de obiecto, ſimplici quidem in ſe, ſed quod habet varia nomina, vt enſis & gladius, homo & rationalis, qui ſunt idem inter ſe, licet variis nominibus inſigniantur ob varia connotata extrinſeca: Secundò, inquit retorqueo argumentum; quod Deus facit ad extra id poteſt non facere; Sed Deus dum creat hominem facit hominem actu eſſe rationalem actu (talis enim identitas hominis actu cum rationali actu non fuit ab æterno) Ergo poterit facere hominem actu non eſſe rationalem actu.

34. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, cùm dicitur id verum eſſe de obiecto ſimplici, quod habet tantùm vnum nomen; non autem de obiecto ſimplici, quod habet varia nomina, putà de re quæ dicitur enſis & gladius, vel quæ dicitur homo & rationalis; falſum dicit: Nam res quæ dicitur enſis & gladius, ita fit à Deo vt poſſit non fieri; & res quæ dicitur homo & rationalis, ita fit à Deo vt poſſit non fieri ab ipſo; & ſic quod Deus facit ad extra, id poteſt non facere, verum eſt de obiecto ſimplici, quod habet varia nomina.

35. Secundò.

Digitized by Google

35. Secundò, Propoſitio mea, ſc. quod Deus facit ad extra, id poteſt non facere, eſt vniuerſaliter vera; Et Aduerſarius nihil prorſus reſpondet ad probationem eius; ſc. quod alioquin Deus agens ad extra, non eſſet agens liberum; agens enim liberum hic dicitur illud quod ita agit vt poſſit non agere; ſiquidem opponitur agenti neceſſario.

36. Tertiò, Iam agitur non de obiecto ſimplici, ſed de complexo, ſc. de hac propoſitione obiectiua, homo eſt rationalis, quam à Deo non dependere effectiuè, ſeu quam Deum facere non poſſe, ſuprà probauimus numero 32.

37. Quartò, ad argumentum quod retorquet Aduerſarius, reſpondeo negando minorem: Nam licet Deus creans hominem faciat hominem actu exiſtentem, & faciat rationalem actu exiſtentem; non tamen facit hominem actu eſſe rationalem actu, id eſt, non facit vt homo actu & rationalis actu ſint idem ſeu non diſtinguantur: Et licet homo actu non fuerit ab æterno, nec rationalis actu fuerit ab æterno: attamen identitas ſeu non diſtinctio hominis actu & rationalis actu fuit ab æterno.

38. Propoſueram etiam iſtud argumentum ad probandum Deum dependere ab alio in ſuis operationibus. Saniores Theologi ſtatuunt Deum in iuſtificatione & condemnatione hominum operari ſecundum ius virtutibus temperatum, condemnare dependẽter à peccato, iuſtificare dependenter à fide, quæ dependentia eſt tanquam à conditione neceſſaria ad agendum requiſita: Ergo Deus dependet ab alio in ſuis operationibus.

39. Reſpondet Neotericus hoc pacto. Primò, agere conſequenter ad aliquid, non eſt agere dependenter ab illo; & ſic condemnare conſequenter ad peccatum, non eſt agere dependenter ab illo in condemnando: Deus autem conſequenter ad decretum ſuum de permittendo lapſu, decreuit condemnare aliquot homines lapſos, ſed poterat ab vtraque abſtinere; ideo ordo decretorum & executionis eorum conformiter ad obiecta non arguit dependentiam. Secundò, quòd Deus attemperet ius virtutibus: arguit quidem connexionem & ordinem inter ius & virtutes, ſed non dependentiam: qui enim liberè ſe determinat ad dandum eſſe, non dicitur dependere ab illo eſſe, cum dat conſequentia ad illud eſſe, ſicut neque qui ſe determinat liberè ad finem, dicitur dependere à fine, cum conſequenter ſe determinat ad media: ſicut neque cum Rex liberè creat præfectum caſtrorum, dicitur dependere ab eius præfectura, cùm ipſi conſequenter confert inſignia præfecturæ.

40. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, agere conſequenter ad aliquid, duobus modis dicitur, ſcilicet vel ad aliquid neceſſariò præuium, vel ad aliquid non neceſſariò præuium; verbi gratiâ ignis comburit lignum conſequenter ad approximationem neceſſariò præuiam; homo verò prandium ſumit conſequenter ad deambulationem non neceſſariò præuiam. Illud agens quod agit conſequenter ad aliquid neceſſariò præuium, proculdubio eget neceſſariò eiuſmodi præuio ad agendum, atque adeo dependet ab eo, ſaltem tanquam à

Digitized by Google

conditione neceſſariò requiſita ad agendum; putà ignis qui comburit lignum conſequenter ad approximationem neceſſariò præuiam eget neceſſariò tali approximatione ad comburendum, atque adeo dependet ab ipſa tanquam à conditione neceſſariò requiſita ad comburendum. Cum igitur Deus condemnet hominem ad cruciatus æternos conſequenter ad peccatum neceſſariò præuium, Deus in condemnatione ſua dependet à peccato tanquam à conditione neceſſariò requiſita in homine vt Deus eum iuſtè condemnet.

41. Secundò, omiſſis iis quæ Aduerſarius affert de decretis diuinis, tanquam nihil ad rem facientibus, dico hîc non quæri an Deus conſequenter ad decretum ſuum de permittendo lapſu decreuerit condemnare aliquot homines lapſos; nec an ab vtroque potuerit abſtinere; nec an ordo decretorum conformiter ad obiecta arguat dependentiam: ſed quæritur iam an Deus potuerit condemnare hominem ad cruciatus æternos, & condemnet eum ad tales cruciatus nullâ habitâ ratione peccati, aut nullo præcedente peccato; Et cum certum ſit Deum non condemnare hominem niſi dependenter à peccato tanquam à conditione requiſita neceſſariò ad condemnationem, clarum eſt Deum operari dependenter ab alio, vel à conditione rerum.

42. Tertiò, cùm dicit inter ius Dei & virtutes Dei eſſe connexionem, non tamen dependentiam; quæro an talis connexio ſit neceſſaria, vel non? ſi hoc, ſequetur ius Dei & æquitatem Dei poſſe ſeparari; & ſic Deus poterit eſſe ſine æquitate, & æquitas non erit eſſentialis Deo, quod mihi videtur abſurdum, imò impium: ſi illud, vnum non poterit eſſe ſine alio; & ideo vnum egebit neceſſariò alio, & per conſequens dependebit ab ipſo: Niſi velis dependens propriè, præſupponere aliud prius à quo dependet. Sed hoc eſt quæſtio de nomine.

43. Concluſeram primum dictum meum hoc pacto: ſicut non dependet à Deo vt homo ſit rationalis; quia non poteſt facere vt homo ſit non rationalis: Ita non dependet à Deo vt homo ſit poſſibilis, & chimæra impoſſibilis; eò quòd non poſſit facere vt homo ſit non poſſibilis, & chimæra non impoſſibilis. Item, homo eſt rationalis, eſt propoſitio æternæ veritatis denotans ſempiternam identitatem aut potiùs non diſtinctionem inter ſubiectum & prædicatum; quæ identitas aut non diſtinctio, propriè non dependet à Deo in genere cauſæ efficientis, cum ab eo tolli non poſſit: Vnde Auguſtinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 8. hæc ait, *tria & quatuor eſſe ſeptem perpetuò verum eſt, etiamſi nihil ſit quod numeretur.*

44. Reſpondet Neotericus hoc pacto. Deus non poteſt facere vt homo ſit non poſſibilis; quia non poteſt ſpoliare ſe ſua potentia, à qua homo denominatur extrinſecè poſſibilis; ſed quid illud ad ſtabiliendam intrinſecam poſſibilitatem: Idem ſeruatâ proportione dicendum de impoſſibilitate chimæræ. Ad Auguſtinum reſpondet tria & quatuor fore ſeptem, ſi exiſtant aut quando exiſtent; ſed ſi non exiſtant nihil erunt, adeóque non erunt ſeptem.

45. Contra

45. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, qui poteſt facere vt homo ſit actualis, poteſt facere vt homo ſit non poſſibilis; cum actuale & poſſibile ſecundùm Aduerſarium ſe habeant vt ens & nihil: Sed Deus poteſt facere vt homo ſit actualis, ſcilicet cùm eum producit: Ergo Deus poteſt facere vt homo ſit non poſſibilis.

46. Secundò, Ex eo quòd Deus non poteſt facere vt homo ſit non poſſibilis, infero hominem ſemper eſſe poſſibilem, atque adeo eſſe ſemper purum nihil; cum ex Aduerſario poſſibile ſit purum nihil; & infero Deum egere poſſibilitate ad productionem rerum, atque adeo in operatione ſua dependere à poſſibilitate rerum tanquam à conditione neceſſariò requiſita ad productionem rerum.

47. Tertiò, Poſſibilitas hominis ſupponit quidem potentiam actiuam Dei, ſicut potentia Dei ſupponit poſſibilitatem hominis: Attamen homo non denominatur poſſibilis à potentia Dei niſi remotè, ſed denominatur proximè & intrinſecè poſſibilis à poſſibilitate, quæ eſt in homine, non in Deo.

48. Quartò, ad locum Auguſtini nihil reſpondet: Nam Auguſtinus non dicit, tria & quatuor ſunt ſeptem ſi exiſtant; ſed dicit expreſſis verbis, tria & quatuor eſſe ſeptem perpetuò verum eſt, etiamſi nihil ſit quod numeretur, id eſt, licet non exiſtant. Et hæc ſufficiant ad confirmationem primi dicti noſtri, & refutationem Reſponſionum Aduerſarij. Iam pergamus ad noſtrum ſecundum dictum.

49. Dico ſecundò Neotericum petere principium, cùm ſupponit poſſibile & impoſſibile eſſe duo pura nihila; nam licet impoſſibile ſit purum nihil; attamen poſſibile non eſt purum nihil, vt probatum eſt ſuprà. Decipitur etiam, cùm dicit Deum mutare poſſe ſtatum poſſibilis, ſaltem ſi intelligat poſſibile logicè ſeu non repugnans, quod non poteſt mutari in impoſſibile, id eſt, in repugnans. Putabam me legiſſe in theſibus Aduerſarii, Deum poſſe mutare ſtatum *vnius & alterius*, cum tamen legatur, vnius non alterius.

50. Reſpondet Neotericus hoc pacto. Primò, petitio principii ſit cùm in ea ſumitur quod eſt in quæſtione, & aliquid probatur per ſeipſum aut æquè ignotum. Quid igitur? Suppono ne ſimpliciter poſſibile eſſe purum nihil, quandoquidem ad plura argumenta quibus id probaui per media euidentia prolixè reſpondere conatur D. P. in ſua Metaphyſica. Quidni etiam ipſe petit principium, quia ſupponit poſſibile eſſe aliquid in ſe ab æterno, quod eſt in quæſtione. Secundò, Status dicitur à me de impoſſibili, quod eſt in eo ſtatu, id eſt, ita ſe habet vt ſit nihil intrinſecè & extrinſecè, quia nullam connotat potentiam productricem; dicitur etiam de poſſibili, quòd licet ſit nihil intrinſecè, eſt tamen in eo ſtatu vt ſit aliquid extrinſecè: Et hunc ſtatum nihilitatis intrinſecæ Deus poteſt mutare, dando ipſi entitatem intrinſecam: Et hoc eſt quod dixi, Deum poſſe mutare ſtatum vnius ſcilicet poſſibilis; Deus tamen non poteſt mutare nihilitatem intrinſecam impoſſibilis: Et hoc eſt quod dixi, Deum non poſſe mutare ſtatum alterius iuxta ſuam.

ſapientiam ; quia mutatio talis ſtatus eſſet contra ſapientiam Dei.

51. Contra hanc Reſponſionem, ſic arguo. Primò, vbi Aduerſarius dicit poſſibile & impoſſibile eſſe duo nihila, nullas rationes affert ad id probandum: Ergo ſumit quod eſt in quæſtione, & non probat; & per conſequens petit principium. Alibi quidem conatur id probare, ſed tantùm abeſt vt id probet per media euidentia, vt vel petat principium, vel probet per ignotius aut æquè ignotum, vel afferat rationes falſas, atque adeo nullas; cum ratio falſa non ſit ratio, ſicut falſum aurum non eſt aurum; quæ omnia patebunt ex infrà dicendis. Ego verò vbi dico poſſibile non eſſe purum nihil, id probo rationibus quibus Aduerſarius nec potuit, nec poterit vnquam reſpondere, vt patet ex ſupra dictis, & patebit ex infrà dicendis.

52. Secundò, nihil purum omnimodè, non habet ſtatum; cum nihil eiuſmodi, nihil habeat: atque adeo non habeat ſtatum. Dices, impoſſibile eſſe in eo ſtatu, id eſt, ita ſe habere vt ſit omnimodè purum nihil. Sed contra, dici non poteſt impoſſibile ita ſe habere, id eſt tali modo ſe habere vt ſit purum nihil: nam nihil purum, nihil habet, atque adeo nec habet ſtatum, nec modum ſe habendi: vno verbo in puro nihilo omnimodè, nihil poteſt concipi, atque adeo nec ſtatus, nec modus: Et impoſſibile explicatur tantùm per ſynonima, quæ ſunt purum nihil, repugnans, non intelligibile, contradictoria inuoluens, &c.

53. Tertiò, cum nihilitas intrinſeca τȣ̃ poſſibilis, & nihilitas intrinſeca τȣ̃ impoſſibilis, non differant; eò quòd poſſibile & impoſſibile in ſe ſeu intrinſecè ſint duo nihil, inter quæ nulla eſt differentia: quæro ab Aduerſario cur Deus poſſit mutare nihilitatem intrinſecam τȣ̃ poſſibils, & non poſſit mutare nihilitatem intrinſecam τȣ̃ impoſſibilis: cum ea quæ non differunt & ſunt idem, habeant omnia eadem attributa. Dices, nihilitatem intrinſecam τȣ̃ poſſibilis, coniunctam eſſe cum connotatione potentiæ productricis: nihilitatem verò intrinſecam τȣ̃ impoſſibilis: non eſſe coniunctam cum connotatione potentiæ productricis. Sed contra, quod eſt coniunctum cum aliquo differt ab eo quod non eſt coniunctum cum ipſo: ſed nihilitas intrinſeca τȣ̃ poſſibilis eſt coniuncta cum connotatione potentiæ productricis, non autem nihilitas intrinſeca τȣ̃ impoſſibilis: Ergo nihilitas intrinſeca τȣ̃ poſſibilis, & nihilitas intrinſeca τȣ̃ impoſſibilis differunt: atque adeo poſſibile & impoſſibile in ſe & intrinſecè non ſunt idem nihil, cum non habeant eandem nihilitatem intrinſecam: & ſi in ſe & intrinſecè non ſint idem nihil, cum impoſſibile ſit nihil purum, poſſibile non erit nihil purum, ſed erit tantùm nihil exiſtentiæ actualis, quod eſt aliquid diminutum, ſcilicet, poſſibile & producibile in tempore, quod non conuenit nihilo puro. Cæterùm, ſicut potentia Dei, ita ſapientia eius, non ſe extendit ad impoſſibilia: & is non oſtendit ſapientiam ſuam qui non facit quod non poteſt facere. Et hæc ſufficiant ad confirmationem ſecundi noſtri dicti, & refutationem reſponſionum Aduerſarii: pergamus iam ad tertium.

54. Dico tertiò, actualitatem entitatis quam recepit res poſſibilis, refundi

refundi quidem in bonitatem & ſapientiam Dei: at denegationem entitatis rei impoſſibilis refundere in eandem ſapientiam, eſſe penitus abſurdum: Nam propriè is dicitur denegare aliquid alteri, qui poteſt illud tribuere, putà Deus poteſt denegare vitam homini, quia poteſt ei vitam tribuere: at non poteſt denegare vitam lapidi, quia non poteſt ei vitam tribuere: eò quòd lapis non ſit capax vitæ: Ergo Deus non poteſt denegare entitatem rei impoſſibili quia ei non poteſt entitatem tribuere. Deinde, ſapientia Dei non ſe extendit ad impoſſibilia, & is non oſtendit ſapientiam ſuam qui non facit quod non poteſt facere, putà Petrus ideo non eſt ſapiens, quia non deſtruit Solem quem non poteſt deſtruere: Et cum ſapientia Dei eſſentialiter includat cognitionem: clarum eſt ſapientiam Dei non ſe extendere niſi ad cognoſcibilia: at impoſſibile non eſſe cognoſcibie, fusè probaui dum de Ente rationis. Adde quòd res impoſſibilis dicit contradictionem in adiecto, cum res ſit ens, & impoſſibile ſit non ens aut nihil purum. Denique, quæri poſſet, cur Deus poſſit tribuere & denegare entitatem rei poſſibili, & non poteſt non denegare rei impoſſibili, ſi poſſibile & impoſſibile ſint in ſe paris conditionis, & vtrumque in ſe ſit purum nihil, nulloque modo differant.

55. Reſpondet Neotericus hoc pacto. Primò, denegamus vt plurimùm quæ poſſumus tribuere, ideò hæc acceptio familiarior eſt: Denegare tamen ſumi poteſt pro nolle tribuere quod non poſſumus, ſic virgilius 1. Georg. *Et quid quæque ferat regio & quid ferre recuſet*: ſed hæc leuiora ſunt quàm vt iis immoremur; per denegare enim intellexi nolle tribuere, quia non poteſt; vel ſi nolle etiam eſt improprium intellexi non tribuere. Secundò, nihil magis in vſu in noſtra lingua quàm hoc, *ceſt vne choſe impoſſible*, Et D.P. vſus eſt his terminis *res impoſſibilis*, necnon Ouideo. Tertiò, ad quæſtionem cur Deus poſſit tribuere & denegare entitatem rei poſſibili, & non poteſt non denegare entitatem rei impoſſibili, reſpondet in aliis theſibus rationem eſſe penes ipſum Deum, qui indicat connexionem impoſſibilem eſſe difformem & improportionatam ſuæ naturæ, ſecus de connexione poſſibili.

56. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, ſumere *τὸ denegare* pro nolle tribuere quod non poſſumus, eſt impropriè & abuſiuè loqui; nam propriè *denegare* dicitur tantùm de eo qui non vult tribuere cum poſſit.

57. Secundò, licet hæc locutio, *res impoſſibilis*, ſit vſitata, & ego & alij ſæpiſſime eâ vtantur, quia verba valent vſu; id tamen non impedit, quominus ſit contradictio in adiecto, cum res ſit ens & impoſſibile non ens: & non ſatis exactè & philoſophicè loquitur, qui dicit *res impoſſibiles*: nam verè & propriè loquendo res omnes ſunt poſſibiles, & cum impoſſibile ſit purum nihil, impropriè tantùm & abuſiuè dicitur Res.

58. Tertiò, quæro, quomodo Deus iudicare poteſt connexiones poſſibiles eſſe conformes ſuæ ſapientiæ, connexiones verò impoſſibiles eſſe difformes, ſi ex parte obiecti & in ſe res poſſibiles & impoſſibiles non habent talem conformitatem aut difformitatem? & quomodo

Digitized by Google

iudicare poteſt, poſſibile eſſe conforme, & impoſſibile eſſe difforme, ſi vtrumque in ſe ſit purum nihil, & in ſe nullo modo differunt.

59. Ad hoc vltimum reſpondet Neotericus in alijs theſibus, Deum apprehendere in ſe conformitatem futuram in rebus poſſibilibus, quæ in ſe neque ſunt conformes neque difformes, ſed mutuantur à Deo quicquid habent entitatis; apprehendere verò in rebus impoſſibilibus difformitatem, non tanquam proprietatem aut vim intrinſecam inuincibilem à Deo & actioni eius reſiſtentem, ſed tanquam carentiam conformitatis, quam in ſe & independenter à Deo non habent res impoſſibiles, ſed cum ordine ad diuinam potentiam quæ eiuſmodi connexiones impoſſibiles commenſurare nequit: Et reuera (inquit) ſi per impoſſibile nullus eſſet Deus diffuſiuus ſuæ bonitatis, nihil eſſet poſſibile & impoſſibile, cum poſſibile & impoſſibile ſint id quod eſt conueniens aut diſconueniens exemplari omnium entium, quo ſublato neceſſariò tollerentur quæ ad ipſum dicunt ordinem conuenientiæ aut diſconuenientiæ: Nec tamen propterea deſtruitur libertas Dei cuius impoſſibile non eſt obiectum proportionatum; ſicut enim Deus non habet libertatem ſe deſtruendi & conſeruandi, ita nec diffundendi imaginem ſuæ ſapientiæ in res impoſſibiles, quibus poſitis obſcuraretur, imò deſtrueretur eius ſapientia.

60. Contra hanc vltimam reſponſionem ſic arguo. Primò ſi poſſibile & impoſſibile ſint in ſe prorſus vnum & idem: non poteſt concipi quomodo Deus apprehendat conformitatem in re poſſibili, & difformitatem in re impoſſibili; cum ea quæ ſunt idem debeant habere eadem attributa. Secundò, falſum eſt difformitatem ſeu repugnantiam rei impoſsibilis non eſſe proprietatem aut vim intrinſecam inuincibilem à Deo, cum talis difformitas à re impoſſibili diuinitus non poſſit tolli; falſum etiam eſt rem impoſſibilem non habere ex ſe & independenter à Deo carentiam conformitatis ſeu repugnantiam, cum talis repugnantia ſeu carentia conformitatis à re impoſſibili per diuinam potentiam non poſſit tolli. Tertiò, ſi non eſſet Deus, tunc nihil eſſet poſſibile, ſcilicet phyſicè, & ſi nihil eſſet poſſibile phyſicè tunc omnia eſſent impoſſibilia phyſicè; atque adeò falſum eſt quòd ſi per impoſſibile nullus eſſet Deus diffuſiuus ſuę bonitatis nihil eſſet impoſſibile: licet autē poſſibile ſit conueniens exemplari diuino; attamē impoſsibile nō eſt ipſi diſconueniens: diſcōuenientia enim quę tribuitur impoſsibili ſupponit exemplar cui impoſſibile ſit diſconueniens; at nullū poteſt eſſe exemplar rei impoſsibilis, cum impoſsibile ſit purum nihil, & puri nihili non poſſit haberi exemplar aut imago, eò quòd non poſſit dici quomodo ſe habeat imago puri nihili, vt probaui dum de Ente rationis. Denique ſemper remanet quæſtio, cur ſcilicet Deus nòn habeat libertatem diffundendi imaginem ſuæ ſapientiæ in res impoſſibiles, poteſt verò eas diffundere in res poſſibiles? Cum enim Deus ſit ſemper idem, certe ſi poſſibile & impoſſibile in ſe ſint purum nihil, atque adeo in ſe non differant; nulla poteſt reddi ratio, cur Deus diffundere poſſit imaginem ſuæ ſapientiæ in poſſibile,

non autem in impoſſibile? cum idem qua idem ſemper faciat idem, & ſimilium ſit idem iudicium multóque magis identificatorum aut non diſtinctorum, qualia ſunt poſſibile & impoſſibile.

61. Reſpondet Neotericus hoc pacto. Primò, Eo modo quo poſſibile & impoſſibile ſunt idem, eo modo habent eadem attributa: Et quia ſunt idem intrinſecè, & in ſe nullam habent entitatem, ideo in ſe nullam habent conformitatem aut difformitatem; imò poſſibile nullam habet conformabilitatē intrinſecam: Et quia non ſunt idem extrinſecè, ideò poſſibile habet conformabilitatem extrinſecam deſumptam à potentia Dei conformatiua ſeu conformatrice, id eſt, quæ ex nihilo poteſt creare aliquid, quod quando erit, erit conforme ſuæ ſapientiæ: Ideo etiam impoſſibile non habet talem conformabilitatem, ſed negationem ipſius. Secundò, Impoſſibile nihil eſt omninò & eius repugnantia, & vis intrinſeca, & inuincibilitas nihil ſunt: Item eius exſeitas & independentia nihil eſt; non entis enim nullæ proprietates, fruſtra igitur quæritur an poſſint tolli à Deo? tollere enim & vincere ſupponunt aliquid quod poſſit tolli & vinci. Aduerte tamen in re impoſſibili eſſe aliquid quaſi materiale (ſic cogimur loqui) ſcilicet ipſam nihilitatem. quæ poteſt dici independenter à Deo, quia termini affirmatiui putà dependenter, non poſſunt quadrare nihilo; ita tamen vt illa independentia non ſit quid poſitiuum, quod poſſit afferre diſcrimen inter nihilitatē poſſibilis & impoſſibilis, quæ ſunt æquè independentes intrinſecè, quia æquè ſunt nihil in ſe: Deinde in re impoſſibili eſſe aliquid quaſi formale, ſc. ordinem ad carentiā potentię in Deo, ratione cuius impoſſibile denominatur extrinſecè dependens: quia ſicut effectus dicit dependentiam à cauſa, carentia effectus & rei debet dicere dependentiam à carentia cauſæ; & hunc ordinem præ ſe ferunt vocabula inuincibilis & independens quibus D.P. afficit impoſſibile, quæ dicunt ordinem ad carentiam alicuius à quo poſſint vinci & dependere. Tertiò, Non video quomodo cohæreat hæc aſſertio D. P. cum ſuis principijs: fatetur enim ingenuè res non eſſe in ſe & independenter poſſibiles, cum dicit ſublato Deo nihil futurum poſſibile. Deinde, ſublato Deo omnia eſſent nihil, ſed non impoſſibilia, reſpectu enim cuius eſſent impoſſibilia. Quartò, minor argumenti quo probatur prima propoſitio deſtruit formam argumenti; ſic enim debet conſtrui. Diſconuenientia impoſſibilis ſupponit exemplar cui impoſſibile ſit diſconueniens: at nullum poteſt eſſe exemplar cui impoſſibile ſit diſconueniens: Ergo, &c. Ad materiam argumenti dico exemplar aliud eſſe quod eſt menſura conuenientiæ; ſic imago faciei meæ habet exemplar cui conuenit, aliud quod eſt menſura diſconuenientiæ, & ſic facies Petri repræſentata in ſpeculo eſt diſconueniens meæ faciei, & tunc facies mea quæ eſt exemplar eſt menſura diſconuenientiæ; quo poſito in maiore argumenti ſumitur exemplar pro exemplari quod eſt menſura diſconuenientiæ, in minori eiuſdem ſumitur pro exemplari quod eſt menſura conuenientiæ: Deinde retorqueo argumentum; Illud dicitur diſconueniens exemplari diuino, cuius

nulla poteſt eſſe imago quæ poſſit eſſe ſimilis ipſi; ſed impoſſibilis nulla poteſt fieri imago ſimilis exemplari diuino; ergo impoſſibile eſt omnino diſconueniens exemplari diuino. Quintò, Huius ſententiæ patroni videntur conſiderare nihilitatem poſſibilis & impoſſibilis veluti ſubiectum recipiens entitatem, aut velut aliquid quod conuertatur in ens, aut veluti duo ſpecula æqualia in quæ æqualiter debeat vibrari imago Dei; cum tamen nihilitas rei poſſibilis ſit tantùm terminus à quo qui ceſſat producta re; ſecus de impoſſibili: Dico igitur diffundere Deum ſuam imaginem, quia continebatur virtualiter in Deo, antequam eſſet actu imago & ens; vel diffundere poſſe, quia continetur in Deo, vt omnis effectus in ſua cauſa; & hinc oriri denominationem poſſibilis; non diffundere verò actu aut potentia, quia non continet, & hinc oriri denominationem impoſſibilis: Quod ſi vlterius quæras, cur hoc continet aut non continet: Reſpondeo, quia talis eſt natura Dei; ſicut ſi quæras cur homo ratiocinatur & non gannit, quia talis eſt natura hominis; cum autem deuenimus ad naturas rerum, præcipuè ad primam naturam, non datur locus vlteriori diſquiſitioni, alioqui daretur proceſſus in infinitum.

62. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, Quæcunque ſunt idem, ſemper ſunt idem; & quæcunque diſtinguuntur, ſemper diſtinguuntur: Res enim non poſſunt eſſe idem vno tempore, & non eſſe idem alio tempore, vt patet in homine & animali rationali, quæ ſemper fuerunt ſunt & erunt idem: Et res non poſſunt diſtingui vno tempore & non diſtingui alio tempore, vt patet in homine & aſino, qui ſemper fuerunt ſunt & erunt diſtincti. Rurſus, quæ ſunt idem, in omnibus ſunt idem, & quæ diſtinguuntur aut differunt, in omnibus diſtinguuntur & differunt; quod vltimum ſic intelligo, nempe vt vnum non identificetur cum pluribus diſtinctis, ſeu vt plura diſtincta non identificentur cum vno; quod enim identificatur cum pluribus, eſt plura, non vnum; & quod identificatur cum vno, eſt vnum, non plura. Denique, quæ ſunt idem, omnibus modis ſunt idem, res enim non poſſunt eſſe vno modo idem, alio modo non idem; putà homo & animal rationale non poſſunt eſſe vno modo idem, & alio modo non idem: Eadem autem eſt ratio omnium identificatorum: id eſt, ſi aliqua identificata ſint idem ſemper, in omnibus, & omnibus modis, etiam reliqua identificata ſunt idem ſemper, in omnibus & ominibus modis: Idemq; dicendū de diſtinctis. Cum igitur poſſibile & impoſſibile ex Aduerſario ſint idem, & non differant, debent eſſe idem ſemper, in omnibus, & omnibus modis, debent habere omnia attributa eadem tam abſoluta quàm relatiua aut connotatiua; & ſi ſint idem intrinſecè, debent eſſe etiam idem extrinſecè; alioquin non erit eadem ratio omnium identificatorum; & ſemper quæſtio remanebit, cur duorum nihil, ſcilicet poſſibilis & impoſſibilis, quæ in ſe & intrinſecè ſunt idem, vnum connotet potentiam productricem, alterum verò non? cur potentia productrix Dei vnum poſſit producere ſcilicet poſſibile, & non poſſit producere

alterum

alterum identificatum intrinſecè cum ipſo ſcilicet impoſſibile? nonne ſatius eſt dicere, id oriri, non ex defectu Dei qui eſt infinitæ virtutis, ſed ex defectu rei quæ id pati non poteſt? ſi quis quærat cur homo irrationalis ſit impoſſibilis? nonne conuenientiùs gloriæ Dei reſpondetur, quia homo irrationalis in ſe & ex ſe habet vt ſit repugnans, vt inuoluat prædicata contradictoria, & conſequenter habet ex ſe vt non poſſit produci à Deo; quàm reſpondere, quia Deus id non poteſt? vno verbo quod in ſe & ex ſe habet vt poſſit produci à Deo, differt in ſe & intrinſecè ab eo quod in ſe & ex ſe habet vt non poſſit produci à Deo: ſed poſſibile ſeu producibile habet in ſe & ex ſe vt poſſit produci à Deo; impoſſibile verò ſeu improducibile habet in ſe & ex ſe vt non poſſit produci à Deo: ergo poſſibile ſeu producibile differt in ſe & intrinſecè ab impoſſibili ſeu improducibili; & per conſequens poſſibile & impoſſibile in ſe & intrinſecè non ſunt duo pura nihil inter quæ non eſt differentia: Et cum impoſſibile ſit purum nihil, clarum eſt poſſibile non eſſe nihil purum, atque adeo eſſe nonnihil & aliquid, non actu exiſtens, ſed potens exiſtere. Dixi etiam ſuprà quæ ſunt idem eſſe ſemper idem; At poſſibile & impoſſibile in ſe non ſunt ſemper idem; nam id quod perit non eſt idem cum eo quod ſemper manet: ſed poſſibile perit, cùm fit actuale, id eſt cùm producitur; impoſſibile vero ſemper manet: quia impoſſibilitas rei non poteſt tolli, posſibilitas verò phyſica rei tollitur per actualitatem: Ergo posſibile & imposſibile non ſunt idem in ſe & intrinſecè.

63. Secundò, falſum eſt posſibile in ſe nullam habere conformitatem, & nullam habere conformabilitatem intrinſecam: Nam Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit ea quæ ſunt in ſe posſibilia, vt docent omnes Theologi, & quidem verâ cognitione quæ eſt conformis rebus in ſe posſibilibus: Ergo res posſibiles in ſe ſunt conformes cognitioni veræ Dei ſapientis, tanquam ſuo exemplari: cum autem purum nihil non habeat exemplar, nec posſit cognoſci, clarum eſt posſibile in ſe quod poteſt cognoſci non eſſe purum nihil, ſed habere aliquam entitatem diminutam ſcilicet posſibilitatem exiſtendi. Deinde, vel per conformabilitatem, Aduerſarius intelligit conformitatem poſſibilem, vel formationem aut conformationem poſſibilem: ſi intelligat conformitatem poſſibilem, ſequetur poſſibile in ſe nullam poſſe habere conformitatem cum exemplari diuino ſeu cognitione diuina; & ſic Deum non poſſe cognoſcere poſſibilia in ſe; & cum posſit producere res quæ ſunt posſibiles in ſe, Deus poterit producere res quas non poteſt cognoſcere, quod eſt abſurdum: ſi verò intelligat formationem aut conformationem posſibilem, ſequetur posſibile ſeu producibile in ſe habere vt non posſit formari aut creari à Deo, quod eſt abſurdum. Cæterùm, posſibile non habet conformabilitatem extrinſecam, id eſt, non denominatur conformabile extrinſecè, ſed intrinſecè; ſiquidem denominatur conformabile à conformabilitate, quæ eſt in re, non in Deo, cum Deus non ſit conformabilis, nec habeat in ſe conformabilitatem, ſed potentiam conformatiuam.

Digitized by Google

cauſa vt cauſet efficienter, debeat exiſtere. At ſi ſit quæſtio de poſſibili & impoſſibili logicè: certum eſt quòd ſi per impoſſibile Deus non eſſet, omnia remanerent eodem modo poſſibilia logicè & impoſſibilia logicè: Nam poſſibile logicè eſt quod non eſt repugnans, & quod non inuoluit prædicata contradictoria; impoſſibile verò logicè eſt repugnans & inuoluens prædicata contradictoria: At licet non eſſet Deus abſit blaſphemia dicto, homo, leo, & aliæ res poſſibiles, non includerent prædicata repugnantia & contradictoria, homo ſemper eſſet animal rationale, & leo eſſet ſemper animal rugibile, id eſt, homo & animal rationale, leo & animal rugibile ſempiternam haberent identitatem ſeu potiùs non diſtinctionem: homo verò irrationalis, lapis ſenſitiuus, & alia impoſſibilia, inuoluerent prædicata contradictoria. Iam poteſt videre Aduerſarius, quomodo cohæreat mea aſſertio cum meis principiis: nempe quod res poſſibiles phyſicè dependeant à Deo vt exiſtant actu; & res poſſibiles phyſicè, etiam vt poſſibiles phyſicè, dependeant à Deo in ſui deſtructione, quia poſſibilitas phyſica poteſt deſtrui à Deo productione exiſtentiæ actualis rei: at res poſſibiles logicè, & impoſſibiles logicè aut phyſicè ſunt independentes à Deo; cum non dependeat à Deo vt res inuoluant aut non inuoluant prædicata contradictoria.

68. Septimò, Impoſſibile neque eſt conueniens, neque diſconueniens exemplari diuino, ſed eſt non conueniens ipſi: conuenientia enim & diſconuenientia ſunt contraria: at contraria ſunt ſemper inter poſitiua; impoſſibile verò non eſt poſitiuum, ſed negatiuum. Minor argumenti mei comprehendit minorem argumenti Aduerſarij: ſic enim intelligenda, nullum poteſt eſſe exemplar rei impoſſibilis cui res impoſſibilis ſit diſconueniens. Ad Argumentum quod retorquet, reſpondeo negando maiorem: Nam diſconueniens illud dicitur exemplari diuino, quod eſt diſſimile exemplari, diuino, vel cuius datur imago quæ eſt diſſimilis exemplari diuino: At impoſſibile nec eſt diſſimile exemplari diuino, nec poteſt formari imago impoſſibilis, quæ ſit diſſimilis ipſi: quod impoſſibile non ſit diſſimile exemplari diuino, ſed tantùm non ſimile, patet ex eo quòd ſimile & diſſimile ſint contraria, quæ ſunt inter poſitiua; impoſſibile autem non eſt poſitiuum: quod etiam non poſſit formari imago rei impoſſibilis, patet ex eo quòd non poſſit formari imago puri nihili, quale eſt impoſſibile, vt probaui in metaphyſicis dum de Ente rationis.

69. Octauò, falſum eſt ſententiæ noſtræ patronos conſiderare nihilitatem poſſibilis & impoſſibilis, veluti ſubiectum recipiens entitatem, aut velut aliquid quod conuertatur in ens; ſed dicunt cum Aduerſario, nihilitatem rei poſſibilis eſſe terminum à quo, qui ceſſat productâ re. Iam verò id deſtruit penitùs ſententiam Aduerſarij: Nam terminus à quo dicitur ille qui relinquitur ab aliquo; quod autem relinquit terminum à quo, debuit priùs fuiſſe ſub termino à quo; Illud autem quod relinquit nihilitatem, eſt entitas quæ producitur, & quæ antea fuit

Digitized by Google

ſub nihilitate exiſtentiæ actualis, non tamen ſub nihilitate pura quæ eſt nihilitas impoſſibilis. Inde formatur hoc argumentum; quod relinquitur differt in ſe ab eo quod non poteſt relinqui; ſed nihilitas poſſibilis relinquitur, ſcilicet, per productionem rei, nihilitas autem impoſſibilis non poteſt relinqui; ergo nihilitas poſſibilis differt in ſe à nihilitate impoſſibilis.

70. Nonò, verum quidem Deum diffundere ſuam imaginem in rem poſſibilem, quia continebatur virtualiter in Deo tanquam effectus in ſua cauſa; non diffundere verò in impoſſibile, quia nunquam continetur virtualiter in Deo: Sed inde formo hoc argumentum; quod continetur virtualiter in Deo differt in ſe ab eo quod non continetur; cum enim contineri & non contineri ſint contradictoria non poſſunt conuenire eidem: ſed poſſibile continetur virtualiter in Deo, impoſſibile verò non continetur; ergo poſſibile differt in ſe ab impoſſibili. Rurſus, ſemper remanet quæſtio cur poſſibile continetur virtualiter in Deo, non autem impoſſibile, ſi poſſibile & impoſſibile in ſe ſint prorſus vnum & idem & nullo modo differant; Deus enim & potentia Dei æqualiter ſe habent ad identificata. Ratio allata ab Aduerſario, cur poſſibile contineatur virtualiter in Deo, non autem impoſſibile, ſcilicet, quia talis eſt natura Dei, non eſt bona; quia natura Dei non ſe habet diuerſo modo reſpectu identificatorum; & ſi producat aliquid, producit etiam omnia identificata cum ipſo: Ratio alia melior afferri poteſt, ſc. quòd poſſibile contineatur virtualiter in Deo, quia in ſe non eſt repugnans, & non inuoluit prædicata contradictoria; impoſſibile verò non contineatur virtualiter in Deo, quia in ſe eſt repugnans & inuoluit prædicata contradictoria: vnde formatur hoc argumentum; quod in ſe eſt non repugnans & in ſe non inuoluit prædicata contradictoria, differt in ſe ab eo quod in ſe eſt repugnans & in ſe inuoluit prædicata contradictoria; ſed poſſibile in ſe non eſt repugnans & in ſe non inuoluit prædicata contradictoria, impoſſibile verò in ſe eſt repugnans & in ſe inuoluit prædicata contradictoria; ergo poſſibile differt in ſe ab impoſſibili; ſi enim poſſibile in ſe & ex ſe repugnaret, non poſſet à Deo produci; & quod ex ſe non repugnat, eſt in ſe & intrinſecè non repugnans. Iam certus ſum Aduerſarium nunquam reſponſurum ad hoc argumentum.

71. Sententia noſtra confirmatur, & Auicennæ ſententia impugnatur ex eo quòd poſſibile & impoſſibile differant materialiter & formaliter; atque adeo non poſſint eſſe duo pura nihila inter quæ nulla eſt differentia. Quod poſſibile & impoſſibile differant materialiter ſic probatur: Entitas actualis & entitas poſſibilis ſunt prorſus vna & eadem entitas; ſicut enim Petrus, qui modo eſt actualis, idem antequam exiſteret fuit poſſibilis; & qui fuit poſſibilis nunc eſt actualis: Ita & entitas Petri quæ identificatur cum Petro, eadem nunc eſt actualis quæ fuit poſſibilis, & eadem fuit poſſibilis quæ nunc eſt actualis: vnde Philoſophi dicunt poſſibile eſſe concretum ſignificans in recto ſubiectum

& in

& in obliquo formam aut quaſi formam, ſicut reliqua concreta. Poſſibile in recto, quod eſt materiale ſignificatum τȣ̃ poſſibilis, & ſubiectum poſſibilitatis, id eſt, habens poſſibilitatem eſt ipſum ens, ipſa entitas, ipſa realitas, ipſa actualitas, & ipſa exiſtentia actualis, quam res habet actu, poſtquam eſt producta & actu exiſtit, ſi ſit creatura: Nam illud eſt ſubiectum poſſibilitatis, & deſignatur pro materiali τȣ̃ poſſibilis, quod antequam produceretur & exiſteret denominabatur poſſibile: Sed ipſa Petri verbi gratià realitas & actualitas, ante productionem Petri, denominabatur poſſibilis: Ergo ipſa realitas & actualitas Petri erat ſubiectum poſſibilitatis, & deſignabatur pro materiali τȣ̃ poſſibilis: Minor quæ ſola in controuerſiam cadere poteſt, ſic probatur. Illud ante productionem denominabatur poſſibile & producibile, quod produci poteſt, & quod poſità productione denominatur productum & exiſtens; Sed ipſa realitas & actualitas Petri, antequam producatur, produci poteſt, & poſità productione denominatur producta & exiſtens; Ergo ipſa realitas & actualitas Petri, antequam producatur denominatur poſſibilis: At ſubiectum impoſſibilitatis, ſeu materiale τȣ̃ impoſſibilis eſt purum nihil, non entitas, non realitas; Ergo poſſibile & impoſſibile differunt materialiter.

72. Poſſibile & impoſſibile differre etiam formaliter & in obliquo, ſcilicet ratione poſſibilitatis & impoſſibilitatis, ſic probatur. Poſſibilitas diſtingui ſolet à Philoſophis in logicam & phyſicam. Poſſibilitas logica explicatur per non repugnantiam ſeu per non incluſionem prædicatorum contradictoriorum: Et ideo ens poſſibile logicè dicitur id quod non repugnat, ſeu quod in conceptu ſuo non inuoluit prædicata contradictoria, ſiue actu exiſtat, ſiue non, vt Deus, Angelus, homo, alter Sol, alter mundus, &c. Impoſſibilitas verò logica explicatur per repugnantiam ſeu per incluſionem prædicatorum contradictoriorum: Et ideo illud dicitur Impoſſibile logicè quod eſt repugnans aut inuoluit prædicata contradictoria, vt Deus corporeus, Angelus lapideus, homo irrationalis, &c. Repugnantia explicatur per ſuppoſitionem alicuius, ex cuius poſitione fictâ ſequuntur contradictoria: putà homo irrationalis eſt quid repugnans; quia ſuppoſito per impoſſibile quòd homo eſſet irrationalis, ſimul eſſent duo prædicata contradictoria, ſcilicet rationale & non rationale; ſiquidem homo dicit eſſentialiter rationale, irrationale verò dicit eſſentialiter non rationale: Non repugnantia autem explicatur per ſuppoſitionem exiſtentiæ alicuius, ex qua non ſequuntur contradictoria; putà homo doctus non eſt quid repugnans; quia ex ſuppoſitione quòd homo eſſet doctus, non eſſent duo prædicata contradictoria; cum ratio hominis non neget rationem docti, & ratio docti non neget rationem hominis: Repugnantia ſeu contradictio cognoſcitur duobus modis; primò immediatè, quando termini repugnantes explicitè contradictorij cognoſcuntur, vt homo & non homo; ſecundò mediatè, quando ſcilicet termini repugnantes implicitè tantùm contradictorij cognoſcuntur, vt electio vniuerſalis; vniuerſale enim

Digitized by Google

pendeant aliquo modo à Deo tanquam ab exemplari quod res poſſibiles imitantur: Attamen ratione eiuſmodi poſſibilitatis intrinſecæ non dependent à Deo in genere cauſæ efficientis, quia quod dependet à Deo in genere cauſæ efficientis, poteſt produci, & poſtea deſtrui, & iterum produci: Sed poſſibilitas rerum, ſaltem prima, cum nunquam inceperit atque adeo ſit æterna, non poteſt produci; Et ratione non repugnantiæ, nec produci, nec deſtrui poteſt à Deo; cum Deus non poſſit facere vt res non repugnans ſit aliquando repugnans, & non poſſit facere poſſibilitatem, ſed tantùm actualitatem: Et hinc fit vt Deus verſetur tantùm circa poſſibilia per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ ordine rationis præcedit decretum atque adeo efficientiam Dei; cum Deus ex poſſibilibus decernat quæ ſint futura, & quæ non.

74. Reſpondet Neotericus hoc pacto. Primò, cum Petrus antequam producatur non ſit, & ſi non ſit nihil ſit; ſequitur materiale poſſibilis eſſe nihil, cum ſit ipſa actualitas Petri, non quando eſt actu, ſed quando non eſt. Secundò, ſenſus proloquij theologici eſt, quòd res dicatur non poſſe produci à Deo, id non oriri ex aliqua imperfectione in Deo, cum vbi nulla eſt virtus ad aliquid ibi nullus ſit defectus ſeu imperfectio virtutis; ſed ex eo quod res ſeu obiectum quod dicitur impoſſibile, putà homo irrationalis deficiat, id eſt, non contineatur in virtute Dei: ſicut enim potentia non oritur ex re ſeu ex obiecto faciendo, ſed res ex potentia: ſic negatio potentiæ non oritur ex intrinſeco defectu rei, ſed potiùs defectus rei ex negatione potentiæ; iuxta illud, ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis. Tertiò, ad ſecundum reſpondet negando ſequelam, vt patet (inquit) ſimilibus modis argumentandi; non valent enim hi: ſi Petrus non eſſet in ſe cognitus, eſſet in ſe non cognitus, & in ſe incognitus: Item, ſi lapis non eſſet ſpiritualiter corpus, eſſet ſpiritualiter non corpus, quia eſſe ſpiritualiter non conuenit lapidi: ſic neque ex eo quod res poſſibiles non ſint in ſe poſſibiles, ſequitur eas futuras in ſe non poſſibiles, quia τὸ eſſe in ſe ſeu entitas intrinſeca non conuenit rebus poſſibilibus.

75. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, ex confeſſione Aduerſarij materiale poſſibilis eſt actualitas quando non eſt: Sed materiale impoſſibilis non eſt actualitas quando non eſt, cum materiale impoſſibilis ſit purum nihil: Ergo materiale poſſibilis differt à materiali impoſſibilis. Licet autem actualitas quando non eſt ſit nihil exiſtentiæ actualis, non tamen eſt purum nihil: Nihil verò exiſtentiæ quod eſt materiale poſſibilis, differt in ſe à puro nihilo quod eſt materiale impoſſibilis; quia nihil exiſtentiæ, quod eſt materiale poſſibilis, prædicatur de actualitate, quæ non eſt, ſed poteſt eſſe, ex confeſſione ipſius Aduerſarij; ſed purum nihil, quod eſt materiale impoſſibilis, non prædicatur de actualitate, quæ non eſt, ſed poteſt eſſe; ergo, &c.

76. Secundò, Falſum eſt poſſibile ex ſe ſeu in ſe eſſe nihil, ſcilicet purum, vt probatur hoc argumento: Quod ex ſe ſeu in ſe eſt tale, non

poteſt non eſſe tale, verbi gratiâ homo, qui ex ſe ſeu in ſe eſt rationalis, non poteſt non eſſe rationalis: Ergo quod ex ſe ſeu in ſe eſt nihil, non poteſt non eſſe nihil: Sed poſſibile poteſt non eſſe nihil, ſcilicet per productionem rei: Ergo poſſibile ex ſe ſeu in ſe non eſt nihil. Item, nihil quod dicitur de impoſſibili inuoluit prædicata contradictoria, atque adeo eſt purum nihil: Sed nihil quod dicitur de poſſibili non inuoluit prædicata contradictoria: Ergo nihil quod dicitur de poſſibili non eſt nihil quod dicitur de impoſſibili; atque adeo poſſibile & impoſſibile in ſe non ſunt idem nihil; ſed Impoſſibile eſt purum nihil, quod non poteſt tolli ab eo quod dicitur impoſſibile; poſſibile verò eſt nihil exiſtentiæ actualis quod poteſt tolli ab eo quod eſt poſſibile.

77. Tertiò, Contradictoria non ſunt idem, putà homo & non homo non ſunt idem: Sed poſſibile in ſe & Impoſſibile in ſe ſunt contradictoria; quod ſic probatur. Poſſibile in ſe & non poſſibile in ſe ſunt contradictoria: Sed Impoſſibile in ſe eſt non poſſibile in ſe: Ergo poſſibile in ſe & impoſſibile in ſe ſunt contradictoria: Ergo in ſe non ſunt idem; atque adeo non ſunt in ſe idem nihil; & per conſequens cum impoſſibile in ſe ſit purum nihil, poſſibile in ſe non poteſt eſſe purum nihil.

78 Quartò, cum Aduerſarius dicit, *vbi nulla eſt virtus ad aliquid, ibi nullus eſt defectus ſeu imperfectio virtutis*, falſum dicit: Nam in homine cæco nulla eſt virtus ad videndum, & tamen in eo eſt defectus virtutis: Si igitur res ſit impoſſibilis, quia non poteſt produci à Deo, id orietur ex defectu Dei. Cùm addit, *id oriri ex eo quòd res ſeu obiectum quod dicitur impoſſibile, verbi gratiâ homo irrationalis, deficiat*, verum dicit, ſed ſibi contradicit; nam hoc poſito id orietur ex defectu rei, id eſt quia impoſſibile id habet ex ſe & in ſe vt non poſſit produci à Deo, id habet ex ſe & in ſe vt non contineatur in virtute Dei, id habet ex ſe & in ſe vt non ſit obiectum omnipotentiæ diuinæ: Ratio autem cur impoſſibile non contineatur in virtute Dei, non eſt deſumenda ex natura Dei, ſc. quia talis eſt natura Dei, vt vult Aduerſarius; cum natura Dei quæ eſt infinita habeat virtutem infinitam & illimitatam, ſed eſt deſumenda ex natura impoſſibilis, ſcilicet quia impoſſibile in ſe eſt repugnans & inuoluit prædicata contradictoria; Et ſic negatio potentiæ, id eſt quòd Deus non poſſit producere rem, oritur ex intrinſeco defectu rei, quod non vult Aduerſarius.

79. Quintò, ſicut poſſibile phyſicè ſeu producibile dicit relationem tranſcendentalem ſeu eſſentialem ad potens ſeu productiuum: Ita & potens ſeu productiuum dicit relationem tranſcendentalem ſeu eſſentialem ad poſſibile phyſicè ſeu producibile. Ex eo quòd poſſibile phyſicè dicat relationem tranſcendentalem & eſſentialem ad potens ſeu productiuum, infero poſſibile phyſicè ex ſe & in ſe habere relationem ad Deum potentem; atque adeo ex ſe & in ſe connotare potentiam diuinam; quod cum impoſſibile non habeat ex ſe & in ſe; ſequitur poſſibile

poſſibile phyſicè & impoſſibile phyſicè in ſe & ex ſe non eſſe idem ſed differre. Ex eo autem quòd potens dicat relationem eſſentialem ad poſſibile, ſequitur potens non poſſe eſſe ſine poſſibili; atque adeo egere poſſibili, & dependere ab ipſo, non tanquam à cauſa, ſed tanquam à concomitante: quare, ſi nullæ res eſſent poſſibiles, nullum eſſet potens; & ſi nullum eſſet potens, nullus eſſet omnipotens: Deus igitur eſſentialiter omnipotens dependet à poſſibilibus tanquam à concomitantibus, cum non poſſit eſſe ſine illis. Denique, ex eo quod poſſibile phyſicè & potens dicant relationem eſſentialem mutuam, infero habere mutuam dependentiam, quæ nec eſt à priori, nec à poſteriori, ſed à concomitante. Dixi *poſſibile phyſicè*; nam de poſſibili logicè aliter philoſophandum; potens enim dependet à poſſibili logicè, cum non poſſit eſſe ſine ipſo; at poſſibile logicè non dependet à potente; ſi enim per impoſſibile non eſſet potens, attamen poſſibile logicè eſſet, id eſt, res poſſibiles logicè non inuoluerent prædicata contradictoria: vnde fit vt res dicendæ ſint poſſibiles logicè; non quia Deus poteſt eas producere, ſed quia ex ſe & in ſe ſunt tales, cum ex ſe & in ſe non inuoluant contradictoria independenter ab omni alio. Si autem poſſibile logicè non dependet à potente, etiam impoſſibile logicè non dependet à non potente; & ſi res ſunt poſſibiles logicè, non quia Deus poteſt eas producere, ſed quia ex ſe & in ſe ſunt tales, & non inuoluunt contradictoria; etiam res ſunt impoſſibiles logicè, non quia Deus eas non poteſt producere, ſed quia ex ſe & in ſe ſunt tales, cum ex ſe & in ſe inuoluant contradictoria; ſi enim affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis. Iam videamus quid dicat Aduerſarius: ſicut (inquit) potentia non oritur ex re ſeu ex obiecto faciendo, ſed res ex potentia; ſic negatio potentiæ non oritur ex intrinſeco defectu rei, ſed potiùs defectus rei ex negatione potentiæ. In quibus verbis oſtendit ſuam incogitantiam circa ſtatum quæſtionis: non enim agitur de re facienda aut obiecto faciendo, ſed de re factibili ſeu poſſibili phyſicè, aut potiùs de re poſſibili logicè: nec agitur de efficientia quam videtur inſinuare per hoc verbum oritur; quis enim negaret rem fieri à potentia, non autem potentiam à re; ſed agitur de dependentia; an ſc. poſſibile dependeat à potenti, an verò potens dependeat à poſſibili? quid autem tenendum ſit ſuprà explicauimus hoc numero.

80. Sextò, Eſſe ex ſe tale, eſt ex entitate ſua, ex natura ſua, ex eſſentia ſua eſſe tale; non autem per aliud, per aliam entitatem, per aliam eſſentiam; & ideo quod ex ſe eſt tale, eſt eſſentialiter tale; verbi gratiâ homo ex ſe eſt rationalis, id eſt ex ſua entitate, naturâ, & eſſentiâ eſt rationalis, non autem per aliud ſeu per aliam entitatem, & ideo eſſentialiter eſt rationalis. Eſſe verò in ſe tale duobus modis dicitur: Interdum enim eſſe in ſe tale, eſt in ſua entitate, natura, & eſſentia eſſe tale; & ſic eſſe in ſe tale & eſſe ex ſe tale ſunt vnum & idem: Interdum verò in ſe eſſe tale, eſt eſſe tale per aliquid inhærens, accidentale, & ſeparabile; putà paries qui eſt albus, eſt in ſe albus, id eſt, eſt albus

Digitized by Google

per albedinem in ipſo pariete exiſtentem, ipſi inhærentem, accidentalem, & ab ipſo ſeparabilem. Hoc poſito, certum eſt primò, res poſſibiles logicè eſſe ex ſe & in ſe, id eſt in ſua entitate natura & eſſentia poſſibiles logicè, id eſt non repugnantes, & non inuoluentes prædicata contradictoria; adeo vt talis poſſibilitas logica ſit eſſentialis rebus, & inſeparabilis ab ipſis, ſiue actu exiſtant, ſiue non: vnde fit, vt ſi res poſſibiles logicè non eſſent in ſe ſeu ex ſe poſſibiles, eſſent in ſe ſeu ex ſe non poſſibiles, & in ſe repugnarent, & ideo Deus non poſſet eas producere; ſicut ſi homo in ſe ſeu ex ſe non eſſet rationalis, eſſet in ſe ſeu ex ſe non rationalis: falsum eſt autem Aduerſarium, qui negat ſequelam, afferre ſimilem modum argumentandi, cùm dicit, ſi Petrus non eſſet in ſe cognitus, eſſet in ſe non cognitus aut incognitus; ego enim argumentor in eſſentialibus & intrinſecis: ipſe verò argumentatur in accidentalibus & extrinſecis: ſequela autem valet in eſſentialibus, non autem in accidentalibus: In alio exemplo ſequela fuiſſet bona hoc pacto, ſi lapis in ſe ſeu ex ſe non eſſet corpus, eſſet in ſe ſeu ex ſe non corpus: & ſi lapis in ſe ſeu ex ſe non eſſet ſpiritualiter corpus, eſſet in ſe ſeu ex ſe non ſpiritualiter corpus: ſed hanc conſequentiam ridiculam & ineptam fecit, ſi lapis non eſſet ſpiritualiter corpus, eſſet ſpiritualiter non corpus. Certum eſt ſecundò, res poſſibiles phyſicè non eſſe ex ſe posſibiles phyſicè: quia talis posſibilitas phyſica non eſt eſſentialis, ſed accidentalis rebus, & ſeparabilis ab ipſis, ſcilicet per productionem earum: cum enim res producuntur tranſeunt à ſtatu posſibilitatis ad ſtatũ actualitatis: licet autem non ſint ex ſe poſſibiles, nec in ſe etiam ſint poſſibiles, quatenus τὸ in ſe ſumitur pro in ſua entitate & eſſentia; attamen in ſe ſunt posſibiles, quatenus τὸ in ſe ſumitur pro inhærente, accidentali, & ſeparabili, posſibilitas enim phyſica eſt in rebus posſibilibus, non autem in Deo, qui habet potentiam actiuam ſeu productiuam, non tamen habet potentiam pasſiuam, posſibilitatem aut producibilitatem.

81. Rurſus, doctrina noſtra confirmatur & illuſtratur à ſimili hoc pacto: Sicut Ens intelligibile dicit in recto ipſum Ens, & in obliquo potentiam obiectiuam, ſcilicet, intelligibilitatem ipſi enti intelligibili intrinſecam: Ita ens posſibile in recto dicit ipſum Ens, & in obliquo potentiam entitatiuam, ſcilicet, posſibilitatem ipſi enti posſibili intrinſecam, quæ dat formaliter enti poſſe produci & poſſe exiſtere: Cuilibet enim potentiæ actiuæ aut quaſi actiuæ ſua reſpondet potentia pasſiua aut quaſi pasſiua; putà potentiæ intellectiuæ, quæ poteſt aliquid intelligere, reſpondet potentia pasſiua aut obiectua quâ aliquid poteſt intelligi; & potentiæ actiuæ, quæ poteſt aliquid producere, reſpondet potentia entitatiua, pasſiua, aut obiectiua quâ aliquid poteſt produci: Et ſicut potentia intellectiua eſt intrinſeca rei intelligenti, & potentia actiua eſt intrinſeca agenti: Ita potentia obiectiua eſt intrinſeca rei intelligibili, & potentia entitatiua eſt intrinſeca rei posſibili ſeu producibili: Quare ſicut res prout affecta potentiâ obiectiuâ, ſeu res intelligibilis

prout

prout intelligibilis dicit in recto & in obliquo aliquid intrinſecum: Ita res potentiâ entitatiuâ affecta, ſeu res poſſibilis vt poſſibilis, dicit in recto & in obliquo aliquid intrinſecum: verbi gratiâ ſicut Sol intelligibilis, ſeu Sol affectus intelligibilitate, dicit in recto entitatem ipſius Solis, in obliquo verò dicit intelligibilitatem ſeu potentiam obiectiuam, quæ procul dubio alicui ineſt; non intellectui, qui eſt intellectiuus, & vt ſic non eſt intelligibilis; ſed obiecto, ſc. Soli; & per conſequens eſſe intelligibile, quod formaliter eſt ratio obiectiua in actu primo, ſeu eſt potentia obiectiua, dicit aliquid intrinſecum rei, tum in recto, tum in obliquo; & ſic eſſe intelligibile eſt denominatio intrinſeca, cum ſit appellatio deſumpta ab intelligibilitate quæ eſt in re: Ita etiam alter Sol poſſibilis ſeu producibilis, id eſt, alter Sol affectus poſſibilitate ſeu producibilitate, dicit in recto entitatem alterius Solis, in obliquo verò dicit poſſibilitatem aut producibilitatem ſeu potentiam entitatiuam, quæ alicui ineſt; non agenti, ſc. Deo, qui eſt potens aut productiuus, non autem poſſibilis phyſicè ſeu producibilis; ſed obiecto, ſc. alteri Soli; & per conſequens eſſe poſſibile ſeu producibile, quod formaliter eſt potentia entitatiua, dicit aliquid intrinſecum rei, tum in recto, tum in obliquo; & ſic eſſe poſſibile ſeu producibile eſt denominatio intrinſeca deſumpta à poſſibilitate ſeu potentiâ entitatiuâ quæ eſt in re.

82. Dices, quòd ſicut eſſe cognitum aut intellectum, eſt denominatio extrinſeca, deſumpta à cognitione aut intellectione actuali; & eſſe cognoſcibile aut intelligibile, eſt denominatio extrinſeca, deſumpta à cognitione aut intellectione poſſibili, quæ eſt extrinſeca obiecto cognoſcibili: Ita etiam eſſe productum eſt denominatio extrinſeca deſumpta à productione actuali; & eſſe producibile aut poſſibile eſt denominatio extrinſeca deſumpta à productione aut actione poſſibili, quæ eſt extrinſeca rei poſſibili ſeu producibili.

83. Verùm reſpondetur, eſſe intelligibile aut cognoſcibile, non eſſe immediatè ab intellectione aut cognitione poſſibili, ſed à potentia obiectiua ſeu intelligibilitate aut cognoſcibilitate ipſi rei intrinſecâ; Et licet intelligibile ſupponat intellectiuum, quod extrinſecum eſt intelligibili; non tamen dicendum eſt intelligibile eſſe rei extrinſecum: Sicut enim eſſe intellectiuum eſt denominatio intrinſeca, licet ſupponat intelligibile, quod ipſi intellectiuo eſt extrinſecum: Ita eſſe intelligibile eſt denominatio intrinſeca, licet ſupponat intellectiuum, quod ipſi intelligibili eſt extrinſecum: At actu cognitum aut intellectum denominatur tantùm ab ipſo cognitionis aut intellectionis actu, qui eſt rei cognitæ extrinſecus. Pariter, eſſe poſſibile aut producibile, non eſt immediatè ab actione aut productione poſſibili, ſed à potentia entitatiua ſeu poſſibilitate ipſi rei intrinſeca; Et licet poſſibile ſeu producibile ſupponat potens ſeu productiuum, quod eſt extrinſecum ipſi poſſibili ſeu producibili; non tamen dicendum eſt poſſibile ſeu producibile eſſe rei extrinſecum: ſicut enim eſſe potens ſeu productiuum, eſt denomina-

tio intrinſeca, licèt ſupponat poſſibile ſeu producibile, quod ipſi potenti ſeu productiuo eſt extrinſecum: Ita eſſe poſſibile ſeu producibile eſt denominatio intrinſeca, licet ſupponat potens aut productiuum, quod ipſi poſſibili aut producibili eſt extrinſecum: At actu productum denominatur tantùm ab ipſa actione aut productione, quæ à multis creditur rei extrinſeca, licet probabilius ſit eam eſſe intrinſecam, cum actio recipiatur in patiente ſecundum aliquos, aut in termino ad quem ſeu in effectu ſecundum alios.

84. Inſtabis, quòd ſicut eſſe cognitum dicit in obliquo cognitionem actualem, quæ cum ſit rei extrinſeca, facit vt eſſe cognitum ſit tantùm denominatio extrinſeca; & eſſe cognoſcibile ſeu poſſe cognoſci dicit in obliquo cognitionem poſſibilem, quæ cum ſit rei extrinſeca, facit vt eſſe cognoſcibile ſit tantùm denominatio extrinſeca: Ita eſſe productum dicit in obliquo actionem ſeu productionem actualem, quæ cum ſit rei extrinſeca, facit vt eſſe productum ſit tantùm denominatio extrinſeca; & eſſe poſſibile aut producibile dicit in obliquo actionem aut productionem poſſibilem, quæ cum ſit rei extrinſeca, facit vt eſſe poſſibile ſit tantùm denominatio extrinſeca.

85. Verùm reſpondetur, eſſe cognoſcibile aut poſſe cognoſci, quod conſtituitur per potentiam obiectiuam, dicere quidem cognitionem poſſibilem rei extrinſecam remotè, non tamen proximè; at negatur ipſam potentiam obiectiuam ſeu cognoſcibilitatem, quam eſſe cognoſcibile dicit proximè, eſſe rei extrinſecam: Nam ſicut calefactiuum ſeu poſſe calefacere, dicit in obliquo, ſed remotè calefactionem poſſibilem igni calefactiuo extrinſecam; potentia tamen calefaciendi eſt aliquid igni calefactiuo intrinſecum, facitque denominationem intrinſecam: Ita potentia obiectiua ſeu poſſe cognoſci, dicit in obliquo, ſed remotè, cognitionem poſſibilem rei extrinſecam; potentia tamen obiectiua eſt ipſi rei intrinſeca, & facit denominationē intrinſecā. Pariter, potentia entitatiua, ſeu eſſe poſſibile, aut poſſe produci, dicit quidem in obliquo, ſed remotè actionē aut productionem poſſibilem, ſecundū abliquos rei extrinſecam; at ipſa potentia entitatiua, ſeu poſſibilitas aut producibilitas, quā poſſibile dicit proximè, nō eſt rei extrinſeca. Deniq; ſicut viſus non poteſt dari lapidi, quia lapis non eſt capax recipiendi viſum, ſed viſus poteſt dari homini, quia homo eſt ſubiectum capax viſus, adeo vt illa capacitas ſit intrinſeca homini: Ita exiſtentia non poteſt dari puro nihilo aut impoſſibili, quod non poteſt recipere exiſtentiam; ſed exiſtentia poteſt dari rei poſſibili ſeu producibili, quia talis res habet in ſe potentiam recipiendi exiſtentiam: Et ſicut Angelus qui eſt ſubſtantia ſpiritualis non eſt viſibilis, ſeu non poteſt videri; quia non habet in ſe potentiam terminandi viſionem: Ita purum nihil ſeu impoſſibile non eſt producibile, quia non habet in ſe potentiam terminandi actionem agentis: ſed res poſſibilis eſt producibilis, quia habet in ſe potentiam terminandi actionem agentis aut producentis.

86. Ad hæc omnia reſpondet Neotericus hoc pacto. Primò, diſparitas

diſparitas (inquit) conſiſtit in hoc, quod intelligibilitas ſit denominatio, partim intrinſeca, deſumpta à veritate tranſcendentali intrinſeca rei; partim extrinſeca deſumpta à potentia intellectiua: Poſſibilitas verò ſit denominatio extrinſeca tantùm. Simili argumento quis probaret omnes denominationes extrinſecas eſſe etiam intrinſecas hoc pacto; ſicut doctum dicit in recto Ens, & in obliquo doctrinam intrinſecam, ſic viſum debet dicere in obliquo entitatem τῦ viſi intrinſecam enti viſo. Secundò, verum quidem eſt potentiæ Dei, ſi ſit productiua pro æterno, debere reſpondere obiectum producibile æternum: ſed ſi potentia Dei ſit tantùm productiua in tempore, ei debet reſpondere tantùm obiectum producibile in tempore, & illud eſt actualitas rei, non poſſibilitas, quæ non ſit, & ideo non poteſt eſſe obiectum potentiæ actiuæ productricis, quam hìc intellegit D. P. cùm ait potentiæ actiuæ quæ poteſt aliquid producere, reſpondere potentiam entitatiuam quâ aliquid poteſt produci, & per potentiam entitatiuam intelligit potentiam obiectiuam, vt ipſe explicat P.19.n. 26. Sed quomodo producibilitas poterit eſſe potentia obiectiua, ſeu obiectum reſpondens potentiæ actiuę productrici, cum producibilitas non producatur, & obiectum potentię productricis ſit id quod producitur. Ad comparationem viſus, qui non poteſt dari lapidi, ſed homini; cum exiſtentia quæ non poteſt dari impoſſibili, ſed poſſibili, ſic reſpondet: Diſparitas in eo conſiſtit, quòd ſubiectum capax viſus habeat intrinſecam potentiam, organa, & diſpoſitionem partium; res verò poſſibilis, antequam exiſtat actu, nihil omnino habeat in ſe, ſed omnia à Deo mutuetur, adeóque non ſe habeat per modum ſubiecti recipientis.

87. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, falſum eſt intelligibilitatem & poſſibilitatem eſſe denominationes; ſunt enim tantùm formæ denominantes: Denominatio eſt effectus formalis formæ denominantis, putà eſſe album eſt denominatio & effectus formalis albedinis; Igitur eſſe intelligibile & eſſe poſſibile ſunt denominationes & effectus formales intelligibilitatis & poſſibilitatis; intelligibilatas verò & poſsibilitas ſunt formæ denominantes, non autem denominationes.

88. Secundò, falſum eſt eſſe intelligibile eſſe denominationem partim intrinſecam deſumptam à veritate tranſcendentali, partim extrinſecam diſumptam à potentia intellectiua: Nam eſſe intelligibile eſt denominatio deſumpta ab intelligibilitate duntaxat, quæ identificatur cum veritate tranſcendentali; atque adeo eſt denominatio intrinſeca tantùm: Non eſſe autem denominationem extrinſecam deſumptam à potentia intellectiua, patet ex eo quòd potentia intellectiua eſt forma denominans tantùm rem intellectiuam, non autem intelligibilem.

89. Tertiò, falſum eſt eſſe poſſibile, eſſe denominationem extrinſecam tantùm: Nam eſſe poſſibile eſt denominatio deſumpta à poſſibilitate, quæ non eſt extra rem, ſed in re: ſi enim ſit quæſtio de poſſibilitate logica, certum eſt talem poſſibilitatem logicam eſſe in re; cum res ex ſe & in ſe ſint poſsibiles logicè, id eſt non ſint repugnantes, & non

Digitized by Google

inuoluant prædicata contradictoria : ſi verò ſit quæſtio de poſſibilitate phyſica, certum eſt etiam eam eſſe in re; licet enim res ex ſe non ſint poſſibiles phyſicè; attamen in ſe ſunt poſſibiles phyſicè eo modo quo ſuprà.

90. Quartò, falſum eſt inde ſequi omnes denominationes extrinſecas eſſe etiam intrinſecas: Et ad exemplum de viſo aut eſſe viſo, dico viſum dicere tantùm in obliquo viſionem, quæ eſt in vidente non in re quæ videtur; viſum enim nihil aliud eſt quam res affecta viſione; & ideo in recto, id eſt, in nominatiuo caſu dicit rem; in obliquo verò, id eſt, in ablatiuo caſu dicit viſionem rei viſæ extrinſecam.

91. Quintò. Rectè loquitur, cùm dicit potentiæ Dei ſi ſit productiua pro æterno debere reſpondere obiectum producibile æternum: ſi ſit tantùm productiua in tempore, ei debere reſpondere tantùm obiectum producibile in tempore, & illud eſſe actualitatem rei, non poſſibilitatem, quæ non fit, & ideo non poteſt eſſe obiectum potentiæ actiuæ productricis, quàm hìc intelligit D.P. cùm ait potentiæ actiuæ quæ poteſt aliquid producere, reſpondere potentiam entitatiuam quâ aliquid poteſt produci, & per potentiam entitatiuam intelligit potentiam obiectiuam: In his omnibus (inquam) Aduerſarius rectè loquitur: Sed cum hæc addit, *quomodo producibilitas poterit eſſe potentia obiectiua, ſeu obiectum reſpondens potentiæ actiuæ productrici; cum producibilitas non producatur, & obiectum potentiæ productricis ſit id quod producitur*; manifeſtè oſtendit ſe parùm intelligere hanc materiam; Nam poſſibilitas phyſica, potentia entitatiua, potentia obiectiua, & producibilitas ſunt vnum & idem: At res quæ eſt poſſibilis differt à poſſibilitate, res quæ eſt producibilis differt à producibilitate, ens quod poteſt produci differt à potentia entitatiua, & obiectum quod producitur aut produci poteſt differt à potentia obiectiua: malè igitur Aduerſarius confundit potentiam entitatiuam ſeu obiectiuam cum obiecto potentiæ productricis; nam potentia entitatiua eſt quâ aliquid poteſt produci; & potentia obiectiua eſt quâ obiectum poteſt produci; obiectum verò potentiæ productricis eſt id quod producitur aut produci poteſt; potentia entitatiua ſeu obiectiua reſpondet potentiæ actiuæ tanquam relatum ſuo correlato obiectum verò reſpondet potentiæ actiuæ ſeu productrici tanquam effectus ſuæ cauſæ.

92. Sextò, falſum eſt rem poſſibilem, antequam actu exiſtat nihil omnino habere in ſe, ſed omnia à Deo mutuari; Nam poſſibile ex ſe & in ſe habet quòd ſit non repugnans & non inuoluens prædicata contradictoria, homo habet ex ſe & in ſe quòd ſit rationalis, &c. quæ omnia ſuprà probata ſunt.

93. Præterea ſententia noſtra confirmatur, ex eo quòd omnis denominatio realis afficiat aliquod Ens: Sed quod nondum eſt, & non repugnat, denominatur realiter poſſibile & producibile: Ergo quod nondum eſt, & non repugnat, eſt Ens ſaltem diminutum.

94. Reſpondet Neotericus in ſuis primis theſibus denominationem

realem

realem intrinſecam, exigere quidem neceſſariò ſubiectum quod ſit Ens; denominationem verò extrinſecam, non exigere neceſſariò ſubiectum quod ſit Ens; primò, quia nihil ponit in re denominata; ſecundò, quia denominatio realis extrinſeca cadere poteſt in ſubiectum quod nihil ſit; ſic chimæra denominatur realiter intelligibilis: Et ratio eſt, quia denominatio extrinſeca non importat formam intra ſubiectum, ſed extra: At creatura denominatur extrinſecè poſſibilis.

95. Verùm contra hanc Reſponſionem; dico primò, ſuprà fusè probatum fuiſſe, denominationem poſſibilis eſſe intrinſecam, & poſſibilitatem Entis ſeu potentiam entitatiuam rei eſſe ipſi intrinſecam. Dico ſecundò, denominationem realem extrinſecam afficere ſubiectum aliquod reale, putà eſſe viſum afficere parietem realem, licet nihil ponat realiter in ipſo: Et falſum eſt denominationem realem extrinſecam cadere poſſe in id quod eſt purum nihil, putà eſſe intelligibile in chimæram: Nam præterquam quòd eſſe intelligibile ſit denominatio intrinſeca, vt ſuprà probatum eſt; certum eſt purum nihil, putà chimæram non poſſe intelligi; poteſt enim formari imago obiecti quod intelligitur, & dici poteſt quomodo ſe habeat eiuſmodi imago: At non poteſt formari imago puri nihili; & nemo poteſt dicere quomodo ſe habeat imago puri nihili, vt probaui in metaphyſicis dum de Ente rationis.

96. Reſpondet Neotericus in ſuis ſecundis theſibus, primam propoſitionem non eſſe vniuerſaliter veram; nam ſanitas (inquit) denominatur deſiderata licet non ſit: Et ſicut ſanitas eſt intrinſecè intelligibilis, non per imaginem propriam quam non habet, ſed per imaginem ſanitatis alienæ, aut prioris; ſic chimæra eſt intrinſecè intelligibilis, non per imaginem propriam, ſed alienam, quia, ſcilicet, habeo in intellectu imaginem capitis capræ, caudæ draconis, vnionis, &c.

97. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò, licet ſanitas deſiderata non ſit, id eſt non exiſtat actu: attamen cum ſit futura aut poſſibilis eſt realis: hìc enim ens reale opponimus enti ficto & chimærico, quod eſt purum nihil, & impoſſibile.

98. Secundò, cùm dicit chimæram eſſe intrinſecè intelligibilem, non per imaginem propriam, ſed alienam: ſicut ſanitas eſt intrinſecè intelligibilis, non per imaginem propriam quam non habet, ſed per imaginem ſanitatis alienæ aut prioris: ineptam prorſus comparationem inſtituit: Nam ſanitas propria, aliena, & prior ſunt eiuſdem ſpeciei, atque adeo ſimiles: ſimilium autem eſt idem iudicium & idem conceptus. At chimæra, quæ eſt non ens, non eſt eiuſdem ſpeciei cum capite capræ & cauda draconis, quæ ſunt entia realia & poſitiua: atque adeo chimæra eſt prorſus ipſis diſſimilis; diſſimilium autem diuerſum eſt iudicium & diuerſus conceptus.

99. Tertiò, chimæra quæ eſt non ens, non poteſt concipi per ſpeciem alienam, ſcilicet, per ſpeciem entis: ſi enim vnum ens, putà homo, non poſſit concipi per ſpeciem alterius entis, putà per ſpeciem aſini;

multò minùs non ens poterit concipi per ſpeciem entis ; cum maior ſit diſſimilitudo inter ens & non ens quæ in nullo prorſus conueniunt, quàm inter hominem & aſinum , qui conueniunt,id eſt , ſimiles ſunt in pluribus, putà in animalitate, vitalitate , corporeitate , ſubſtantialitate, & entitate. Deinde , eadem eſt ratio omnium impoſſibilium : ſi igitur vnum impoſſibile non poteſt concipi per ſpeciem alienam,reliqua etiam impoſſibilia non poterunt concipi per ſpeciem alienam; At hoc impoſſibile, ſcilicet quadratum eſſe rotundum , non poteſt concipi , ſiue per ſpeciem propriam,ſiue per alienam : Ergo nec reliqua impoſſibilia,atque adeo nec chimæra. Denique ſpecies propria rei repræſentat rem,ſpecies verò aliena repræſentat aliam rem : Res igitur non poteſt cognoſci niſi per propriam ſpeciem , quam impoſſibile ſeu purum nihil non poteſt habere ; cum nemo dicere poſſit quomodo ſe habeat imago puri nihili. Reliqua argumenta,& ſolutiones obiectionum de hac re,fusè tradidi in Metaphyſicis,dum de ente rationis.

100. Tandem Aduerſarius proponit vltimum meum argumentum hoc pacto : Sicut quia res cognoſcibilis eſt talis per ſeipſam , & eſt talis per cognoſcibilitatem,inde ſequitur cognoſcibilitatem eſſe ipſam rem: ſic ſi res poſſibilis (ſcilicet logicè) ſit poſſibilis per ſeipſam , & ſit poſſibilis per poſſibilitatem , ſequitur poſſibilitatem eſſe ipſam rem.

101. Reſpondet Aduerſarius hoc pacto. Res actualis eſt quidem cognoſcibilis per ſeipſam ; ſed res poſſibilis non eſt cognoſcibilis aut poſſibilis per ſeipſam , ſed denominatur talis per potentiam cognoſcendi & producendi quæ eſt in Deo. Et in ſuis primis theſibus dicit,poſſibilitatem logicam ſeu non repugnantiam , non eſſe attributum intrinſecum , ſed dare denominationem extrinſecam.

102. Contra hanc reſponſionem ſic arguo. Primò , Eclipſis futura, quæ non eſt actualis , ſed poſſibilis , eſt per ſeipſam cognoſcibilis ab Aſtrologo ; & ſublato quocunque alio à re diſtincto , res adhuc manet cognoſcibilis , atque adeo per ſeipſam eſt cognoſcibilis ; & cum ſit per ſeipſam vera veritate tranſcendentali,eſt etiam perſeipſam cognoſcibilis & intelligibilis.

103. Secundò , res poſſibilis logicè ſunt poſſibiles per ſeipſas : Nam poſſibile logicè eſt non repugnans ſeu non inuoluens prædicata contradictoria : At res quælibet ſiue actualis ſiue poſſibilis eſt ex ſe non repugnans & non inuoluens prædicata contradictoria , independenter ab omni alio ; in ò ſi per impoſſibilie Deus non eſſet , abſit blaſphemiæ dicto , res non inuoluerent prædicata contradictoria , homo eſſet rationalis , id eſt homo & rationalis haberent identitatem ſeu potiùs non diſtinctionem ; quæ omnia ſuprà probata ſunt.

104. Tertiò , propriè & exactè loquendo poſſibile phyſicè & potens ſunt relata quæ ſe mutuo ponunt & tollunt , & à ſe mutuo dependent tanquam à concomitantibus , cum vnum non poſſit eſſe ſine altero ; at propriè & exactè loquendo vnum non denominatur ab altero : & potentia actiua ſeu productiua eſt forma denominans , cuius effectus

formalis

Digitized by Google

formalis ſeu denominatio eſt potens & productiuum duntaxat, non autem poſſibile aut producibile, niſi impropriè & abuſiuè; ſiquidem propriè poſſibile ſeu producibile eſt denominatio & effectus formalis poſſibilitatis ſeu producibilitatis, quæ eſt in re, non in Deo, vt ſuprà.

105. Propoſitis argumentis quibus probatur & confirmatur doctrina noſtra de ente reali, & potiſſimùm de ente poſſibili; & impugnatis omnibus reſponſionibus Aduerſarij ad argumenta noſtra: ſuper eſt vt obiectiones eius futiles & ad rauim vſque ab alijs decantatas diſſoluamus; quarum prima talis eſt. Creatio eſt productio rei ex nihilo; ſed nihil excludit omnem entitatem quantumuis diminutam; Ergo nulla fuit in rebus entitas intrinſeca poſſibilitatis. Confirmatur, quia creatio non eſſet productio entitatis ex nihilo, ſed deductio ad vlteriorem perfectionem.

106. Reſpondetur, creationem eſſe productionem rei ex nihilo exiſtentiæ, non autem ex nihilo puro; nihil autem exiſtentiæ, non excludere entitatem diminutam & ſecundum quid, quæ dicitur entitas potentiâ; licet excludat entitatem ſimpliciter & perfectam, quæ dicitur entitas actu exiſtens & producta.

107. Inſtantia Aduerſarij talis eſt. Primò manent difficultates quas tangit obiectio; deberet enim dici creatio, productio actualis in poſſibilitate, iam antea habente entitatem, non verò productio rei abſolutè, & ex nihilo purè, & ſimpliciter; qui enim purè pronunciat nihil, nihil purum intelligit. Secundò, ſi actualitas ſit perfectio ſuperaddita entitati, creatio erit actio completiua rei, non ſimpliciter productiua. Tertiò, creatio actio perfectiſſima, attinget tantùm partem entitatis rei, eámque infimam, ſcilicet actualitatem caducam; res verò ex ſe habuerint partem entitatis nobiliorem, æternam, & independentem à Deo. Quartò, Deus eſt cauſa omnium quæ veniunt ſub nomine entis extra ſe: Ergo creatio eſt productio ex nihilo puro. Probatur Antecedens, quia Deus poſſidet eminenter omnes perfectiones imaginabiles in creaturis; ſed in creaturis plus eſſet verbi gratiâ Regem Galliæ eſſe Regem originaliter, ita vt omnia quæ venirent ſub nomine Regis, ab ipſo titulum acciperent & accepiſſent, ſiue æqualem, ſiue minorem & diminutum; quàm eſſe Regem ſimpliciter, ita vt darentur alij ab ipſo independentes & non creati, licet diminutum titulum Regis participarent comparatè ad ipſum: Ergo etiam plus erit Deum eſſe ens originaliter, ita vt omnia extra Deum quæ veniunt ſub nomine Entis ab ipſo trahant originem: quàm eſſe ens ſimpliciter, ita vt dentur extra illum Entia ab ipſo independentia quantumuis illa ſint diminuta & imperfecta comparatè ad ipſum. Quintò, cum Deus producit actualitatem, quia ipſam producit totam, producit omnia ipſi eſſentialia; ſed non repugnátia intrinſeca eſt eſſentialis actualitati, cum ſine ea nec eſſe nec concipi poſſit actualitas: quis enim concipiat ipſam cum repugnantia: Ergo Deus producit non repugnantiam intrinſecam, quæ ideo non diſtinguitur realiter ab actualitate; licet nõ producat non repugnantiam

eius extrinſecam & æternam, quæ eſt denominatio ipſi adueniens ex potentia Dei æterna,& nihil ponens in ipſa,ſed tantùm in Deo.

108. Contra hanc Reſponſionem ſic arguo. Primò,cum Aduerſarius dicit; ex noſtra reſponſione ſequi creationem dicendam eſſe productionem actualitatis in poſſibilitate; vel loquitur de poſſibilitate phyſicâ, vel de poſſibilitate logica: ſi loquatur de poſſibilitate phyſica, conſequentia eſt nulla; quia ſecundùm nos creatio eſt productio actualitatis deſtruentis formaliter poſſibilitatem phyſicam; & ideo non eſt productio actualitatis in tali aut cum tali poſſibilitate: ſi verò loquatur de poſſibilitate logica, conſequentia eſt bona; quia creatio ſeu productio rei ex nihilo exiſtentiæ, rectè ſtat cum poſſibilitate logica; ſiquidem res, ſiue exiſtat actu,ſiue non,habet poſſibilitatem logicam,id eſt nec eſt repugnans,nec inuoluit prædicata contradictoria.

109. Scundò, cùm Aduerſarius dicit, ex noſtra Reſponſione ſequi creationem non eſſe productionem rei abſolutè & ſimpliciter; falſum dicit, & non intelligit terminos: Nam res abſolutè & ſimpliciter, dicitur ea quæ actu producta eſt, & actu exiſtit: Creatio igitur quæ eſt productio rei ex nihilo exiſtentiæ actualis, & per quam res actu exiſtit, eſt productio rei abſolutè & ſimpliciter.

110. Tertiò,cùm Aduerſarius dicit,ex noſtra reſponſione ſequi creationem non eſſe productionem ex nihilo puro,verum dicit,quia purum nihil eſt impoſſibile & repugnans,ex quo tanquam ex termino à quo res produci non poteſt. Cùm verò addit creationem eſſe productionem rei ex nihilo, atque adeo ex nihilo puro,quia qui putè, id eſt tantùm pronuntiat nihil, nihil purum intelligit; falſum dicit:Nam cum in hac diſputatione *τὸ nihil* duobus modis potiſſimùm ſumatur: ſcilicet pro nihilo puro, quod eſt repugnans & impoſſibile: & pro nihlo exiſtentiæ actualis,quod non actu exiſtit,ſed poteſt exiſtere:clarum eſt τὸ nihil precisè abſtrahere ab vtroque: & quod *nihil* ſit intelligendum, ex ſubiecta materia petendum eſt: putà ſi quis dicat homo irrationalis eſt nihil, de nihilo puro intelligendum eſt, quia homo irrationalis eſt quid repugnans & impoſſibile: at ſi quis dicat alter ſol eſt nihil, de nihilo exiſtentiæ intelligendum eſt, quia alter ſol non exiſtit,ſed poteſt exiſtere: Iam creatio non eſt productio rei ex nihilo puro, id eſt ex impoſſibili; ſed eſt productio rei ex nihilo exiſtentiæ,id eſt res quæ creatur tranſit à non exiſtente ad exiſtentem.

111. Quartò,cùm dicit Aduerſarius,quòd *ſi actualitas ſit perfectio ſuperaddita entitati, creatio erit actio completiua rei, non ſimpliciter productiua*: non agit contra nos, qui exiſtimamus entitatem & actualitatem non diſtingui,& nihil dici de entitate quod non poſſit dici de actualitate; ſicut enim entitas producitur, & antequam producatur eſt producibilis & poſſibilis; ita etiam actualitas producitur, & antequam producatur eſt producibilis: Pugnat igitur tantùm contra eos qui diſtinguunt eſſentiam ab exiſtentia, qui facilè reſpondebunt, creationem eſſe actionem productiuam rei quoad exiſtentiam, quæ eſt perfectio

quædam

quæ dam ſuperaddita eſſentiæ,& ipſam complens accidentaliter. Cùm addit,*creatio actio perfectiſſima attinget tantùm partem entitatis rei,eámque infimam ,ſcilicet actualitatem caducam ; res verò ex ſe habuerint partem entitatis nobiliorem,æternam,& independentem à Deo :* non agit contra nos, qui exiſtimamus creationem attingere totam entitatem rei à qua non diſtinguitur actualitas, vt ſuprà. Pugnat igitur tantùm contra eos qui diſtinguunt eſſentiam ab exiſtentia, & dicunt rem completè ſumptam componi ex eſſentia & exiſtentia; reſpondent autem creationem attingere tantùm partem entitatis rei, ſcilicet exiſtentiam ; quæ ſimpliciter nobilior eſt eſſentia, licet ſecundùm quid ſit ignobilior ipsâ, ſc. ratione durationis.

112. Quintò, cùm Aduerſarius dicit, Deum eſſe cauſam omnium quæ veniunt ſub nomine entis extra ſe ; diſtinguendum eſt, eſt cauſa omnium quæ veniunt ſub nomine Entis ſimpliciter,abſoluti,& perfecti, concedo; entis diminuti & imperfecti,vt talis nego: Nam ens ſimpliciter abſolutum, & perfectum, dicitur illud quod actu producitur & actu exiſtit : Ens verò diminutum & imperfectum, dicitur illud quod non actu productum eſt, nec actu exiſtit, ſed poteſt produci & poteſt exiſtere; & ratione talis poſſibilitatis aut producibilitatis, quæ non conuenit nihilo puro quod eſt impoſſibile, dicitur ens, ſed diminutum; Deus autem non eſt cauſa producibilitatis ſeu poſſibilitatis rerum ; cum res in ſe habeant illam,& ex ſe & in ſe habeant poſſibilitatem logicam independenter ab omni alio ; ſed eſt cauſa actualis exiſtentiæ rerum quæ producuntur ab ipſo. Cæterùm,comparationem Regis cum Deo, tanquam impoſſibilem moraliter & phyſicè in Regè, & impoſſibilem metaphyſicè in Deo, reiicimus: licet enim poſſibilia dependeant à Deo vt exiſtant, non tamen vt ſint poſſibilia.

113. Sextò,quando producitur res, producuntur omnia ipſi eſſentialia incomplexa, non autem complexa; verbi gratiâ quando producitur homo, producitur animal, producitur rationalis, producitur riſibilis, &c.ſed hominem eſſe animal, hominem eſſe rationalem, hominem eſſe riſibilem, non producitur : Item producitur res,producitur non repugnans,ſed hominem eſſe non repugnantem, non producitur. Iam non repugnantia rei, τὸ non repugnare rei,rem non repugnare,rem eſſe non repugnantem,ſunt vnum & idem ; & per conſequens non repugnantia rei eſt eſſentiale complexum, non incomplexum ; eſſentialia autem complexa non producuntur. Quòd ſi non repugnantia ſit eſſentiale incomplexum ; tunc ante productionem rei,erit ens actu diminuto;poſt productionem rei erit ens actu perfecto;Non tamen erit non repugnantia diminuta,ſed perfecta.

114. Obiectio ſecunda Aduerſarij eſt eiuſmodi : Æternitas, quia eſt proprietas Dei, eſt incommunicabilis alteri enti: Ergo non datur poſſibilitas intrinſeca æterna extra Deum.

115. Reſpondetur, quòd ſicut duplex eſt entitas, ſcilicet entitas ſimpliciter,abſolutè, aut perfectè; & entitas ſecundùm quid,conditionatè,

aut imperfectè ſeu diminutè: Ita duplex eſt æternitas, ſcilicet æternitas ſimpliciter, abſolutè, aut perfectè; & æternitas ſecundùm quid, conditionatè aut imperfectè: Et ſicut entitas ſimpliciter, abſolutè, aut perfectè eſt ea quæ actu exiſtit; entitas verò ſecundùm quid, conditionatè, aut imperfectè ſeu diminutè, eſt ea quæ non actu exiſtit, ſed poteſt exiſtere: Ita æternitas ſimpliciter, abſolutè, & perfectè eſt ea quæ conuenit tantùm rei actu exiſtenti ſine principio & fine, ſcilicet ſoli Deo; æternitas verò ſecundum quid, conditionatè & imperfectè ſeu diminutè, eſt ea quæ conuenit rei non actu exiſtenti ab æterno ſeu pro æterno, ſed ab æterno potenti & non repugnanti exiſtendi in tempore ſeu pro tempore.

116. Tota inſtantia Aduerſarij conſiſtit in hoc quòd non percipiat quomodo talis æternitas poſſit appellari ſecundum quid, imperfecta, & conditionata, & affert varias rationes cur non debeat ſic appellari.

117. Reſpondetur primò, æternitatem rei poſſibilis vocari à Philoſophis æternitatem ſecundum quid, quatenus τὸ ſecundum quid opponitur τῷ ſimpliciter: ſicut enim ille dicitur ſimpliciter ambulans, qui actu ambulat; & ſecundum quid ambulans, qui non actu ambulat, ſed poteſt ambulare; adeo vt ambulatio ſimpliciter & præciſè dicatur de actuali ambulatione duntaxat, ambulatio verò ſecundum quid dicatur de ambulatione poſſibili; Ita illud dicitur ens ſimpliciter & præciſè quod actu exiſtit; ens verò ſecundũ quid quod non actu exiſtit, ſed poteſt exiſtere; id eſt, quod actu exiſtit, dicitur ens; quod verò non actu exiſtit, ſed poteſt exiſtere, dicitur ens poſſibile, atque adeo eſt ens ſecundum quid, ſcilicet ſecundum poſſibilitatem: Pariter, illud dicitur æternum ſimpliciter, præciſè, & ſine addito, quod actu exiſtit ab æterno ſine principio & fine, vt ſolus Deus; æternum verò ſecundùm quid, quod non actu eſt ab æterno, ſed habet ab æterno vt poſſit exiſtere in tempore; atque adeo eſt æternum ſecundum quid, id eſt, ſecundum poſſibilitatem. Fruſtra igitur laborat Aduerſarius, demonſtrando æternitatem ſecundum quid non eſſe ſecundum partem eſſentialem, nec ſecundum partem integralem, nec ſecundum proprietatem, nec ſecundum accidens; debebat probare æternitatem non conuenire rei ſecundum quid, id eſt, ſecundum poſſibilitatem, & demonſtrare rem non habuiſſe ab æterno poſſibilitatem exiſtendi in tempore.

118. Reſpondetur ſecundò, æternitatem rei poſſibilis ſequi naturam ipſius rei poſſibilis: Et cum res poſſibilis ſeu in ſtatu poſſibilitatis dicatur imperfecta, ſi comparetur cum ſeipſa actu exiſtente ſeu in ſtatu actualitatis; etiam æternitas rei poſſibilis dicenda eſt imperfecta, ſi comparetur cum æternitate Dei actu exiſtente; & ſi homo in infantia dicitur imperfectus, in ætate virili dicitur perfectus; quantò magis res dicenda eſt imperfecta in ſtatu poſſibilitatis, perfecta verò in ſtatu actualitatis. Cùm igitur Aduerſarius dicit, æternitatem rei poſſibilis, habere omnia requiſita ad æternitatem; reſpondendum eſt habere omnia requiſita ad

æternitatem

æternitatem ſecundum quid & imperfectam;non autem ad æternitatem ſimpliciter & perfectam , quæ conuenit ſoli Deo actu ab æterno exiſtenti.Cum dicit actualitatem creaturæ nihil conferre ad æternitatem: reſpondendum eſt nihil conferre ad æternitatem ſecundum quid , conferret tamen ad æternitatem eius ſimpliciter , ſi eam habere poſſet. Reliqua ab Aduerſario hîc allata nouſunt ad rem.

119. Reſpondetur tertiò , æternitatem rei poſſibilis vocari conditionatam à varijs Philoſophis ; quia ſi res poſſibilis extitiſſet ab æterno, nulla inde orta eſſet contradictio ; & ſi res poſſibilis hîc & nunc exiſteret , nulla ſequeretur contradictio ; quod dici non poteſt de re impoſſibili, putà de homine irrationali , de quadrato rotundo , &c. Idque mihi ſufficit ad oſtendendam differentiam inter poſſibile in ſe , & impoſſibile in ſe quam negat Aduerſarius: nec litem moueo de nomine, an ſcilicet rectè vocata ſit æternitas conditionata.

120. Obiectio tertia ſic ſe habet. Poſſibile eſt actu tale , non potentiâ : Et poſſibile oppoſitum impoſſibili ſolum dicitur æternum;quia poſſibile oppoſitum actuali,dicitur petire adueniente actu : Sed poſſibile oppoſitum impoſſibili dicitur habere actu entitatem intrinſecam oppoſitam nihilo : Ergo duo erunt entia actualia in ratione entis. Deinde, Ens diminutum & imperfectum perfectiſſimam Dei proprietatem participabit. Denique poſſibile logicè , quod dicitur æternum, identificatur cum creaturis poſſibilibus actu exiſtentibus , quæ ideo erunt æternæ.

121. Reſpondetur,quòd ſicut impoſſibile,eſt actu , id eſt , à parte rei, non autem à parte intellectus , ſeu nemine cogitante aut fingente , impoſſibile : Ita poſſibile eſt actu, id eſt à parte rei , non autem à parte intellectus, ſeu nemine cogitante aut fingente poſſibile : Poſſibile tamen & Impoſſibile differunt in hoc , quòd impoſſibile ſit actu,id eſt , à parte rei,& nemine fingente nihil purum ; atque adeo nec ſit actu diminuto ſeu imperfecto , nec actu abſoluto & perfecto ; poſſibile verò non ſit nihil purum , ſed ſit actu , id eſt , à parte rei Ens : non quidem Ens ſimpliciter , abſolutè , & perfectè ; ſed ens ſecundum quid , & imperfectè; vno verbo eſt Ens actu diminuto & imperfecto,non tamen Ens actu abſoluto & perfecto. Pariter poſſibilitas habet ſuam actualitatem, quatenus actu , id eſt à parte rei eſt poſſibilitas ; habet etiam ſuam actualitatem , quatenus eſt ens actu diminuto & imperfecto ; non quidem ens vt quod ; id enim tantùm conuenit rei poſſibili ; ſed vt quo, quatenus res per poſſibilitatem eſt actu ſeu à parte rei Ens , & eſt ens actu diminuto & imperfecto , quod dicitur ens ſecundum quid : Non eſt autem abſurdum vt ſint actu , id eſt , à parte rei duo entia æterna ; quorum vnum ſit actu , id eſt , à parte rei æternum ens ſimpliciter, abſolutè , & perfectè, & ſit æternum actu abſoluto & perfecto , ſcilicet Deus ; alterum verò ſit actu , id eſt , à parte rei æternum ens ſecundum quid, diminutè,& imperfectè , & ſit æternum actu diminuto & imperfecto , ſc. res poſſibilis : cum res poſſibilis ab æterno hoc habuerit actu ſeu à parte

Digitized by Google

rei, non autem à parte intellectus, vt fuerit poſſibilis in tempore ſeu pro tempore, licet non fuerit poſſibilis pro æterno; & ſic ab æterno res poſſibilis fuerit actu diminuto & imperfecto, non autem abſoluto & perfecto. Nec propterea res poſſibilis fit particeps æternitatis diuinæ, quæ eſt æternitas ſimpliciter, abſolutè & perfectè; ſed tantùm æternitatis ſecundum quid, imperfectæ, & diminutæ. Denique, falſum eſt poſſibile logicè in communi, ſeu non repugnans in communi identificari cum creaturis exiſtentiam actualem ſimpliciter habentibus; nam poſſibile logicè dicitur etiam de creaturis poſſibilibus & non actu exiſtentibus.

122. Contra hanc reſponſionem ſic inſtat Neotericus. 1. Si eſſe actu afficit eodem modo impoſſibile quo poſſibile, cum nullum ponat actum entitatiuum diminutum in re impoſſibili, nullum etiam ponet in re poſſibili, quæ ideo erit nihil purum. 2. Quæſtio eſt de τοῦ actu prout opponitur τοῦ in potentia, non autem prout opponitur τοῦ per intellectum. 3. Ad id quod affertur de poſſibili logicè, dico meum argumentum fuiſſe ad hominem, & iuxta principia D. P. qui ſtatuit entitatem actualem & poſſibilem eſſe prorſus vnam & eandem entitatem: ſed poſſibile eſt tale ab æterno: Ergo & actuale.

123. Ad hanc Inſtantiam reſpondetur primò, quòd ſi per eſſe actu, intelligatur eſſe à parte rei, id eſt, nemine fingente; tunc eſſe actu eodem modo afficit poſſibile & impoſſibile; cum nemine fingente; ante omnem operationem intellectus, poſſibile ſit poſſibile, & impoſſibile ſit impoſſibile: ſed ſi per eſſe actu intelligatur aliquod ens actu; tunc ens actu abſoluto & perfecto, neque afficit poſſibile, neque impoſſibile; at ens actu diminuto & imperfecto afficit poſſibile, non autem impoſſibile.

124. Reſpondetur ſecundò, poſſibile & actuale eſſe idem in recto: Nam rectum poſſibilis eſt ipſa res exiſtens, quæ concipitur quando concipitur poſſibile, etiamſi ea non exiſtat actu in ſeipſa: quia vt concipiatur aliquid, non oportet vt illud actu exiſtat: vno verbo, cùm rectum poſſibilis dicitur identificari cum exiſtente, nihil aliud intelligitur quàm idem concipi, quando concipitur poſſibile, & quando concipitur exiſtens. Iam res poſſibilis eſt ab æterno non ſimpliciter, abſolutè & perfectè, ſed ſecundum quid, diminutè, & imperfectè, & per non repugnantiam: Res etiam exiſtens, quæ actu concipitur, ſed quæ non exiſtit actu in ſe, eſt ab æterno ens ſecundum quid, diminutum, & imperfectum, non autem ens ſimpliciter & perfectum.

125. Obiectio quarta talis eſt: Poſſibilitas creaturarum habet aliquid ſe prius, quia eſt ens ab alio, dependens, finitum, vtpote ens diminutum, & complementum recipiens ab actu; alioqui omnes ferè proprietates Dei deuoluerentur ad eiuſmodi entitatem. Adde quod Deus eſt prima cauſa, & quod eſt primum in vnoque genere eſt cauſa cæterorum.

126. Reſpondetur, Poſſibile phyſice dicere in recto ipſum Ens quod dicitur

dicitur poſſibile, & in obliquo potentiam entitatiuam, vt ſuprà: vnde quadruplicem reſpectum includit, ſcilicet ad potentiam entitatiuam quæ ipſi ineſt, ad actum entitatiuum cuius capax eſt, ad potentiam actiuam à qua ipſum actum entitatiuum ſeu exiſtentiam actualem recipere poteſt, & ad negationem eiuſdem actus cum qua coniunctum eſt. Dicit autem intrinſecè potentiam entitatiuam, & negationem actus entitatiui; extrinſecè verò connotat potentiam actiuam, & actum entitatiuum: Et cum poſſibile phyſicè ſit etiam poſſibile logicè ſeu non repugnans, dicit præter ſupra dicta negationem repugnantiæ. Iam Deus non fuit ante non repugnantiam rerum poſſibilium, atque adeo non fuit ante poſſibilitatem logicam: Nam licet res ab æterno habuerint repugnantiam exiſtendi pro æterno; attamen res ab æterno habuerunt non repugnantiam exiſtendi in tempore aut pro tempore, quod nunquam habuit chimæra aut aliud impoſſibile. Item, Deus non fuit ante poſſibilitatem phyſicam rerum: quia poſſibilitas phyſica rei conſiſtit in carentia exiſtentiæ actualis, & in potentia entitatiua ſeu capacitate recipiendi exiſtentiam actualem: at Deus non fuit ante eiuſmodi carentiam & capacitatem: Ergo non fuit ante poſſibilitatem phyſicam rerum. Ad probationem propoſitionis reſpondetur poſſibilitatem rei conuenire ipſi independenter à Deo tanquam à cauſa efficiente: quia Deus efficit quidem actualitatem rerum, id eſt, facit vt res actu exiſtant, cum producat exiſtentiam actualem earum; ſed non efficit earum poſſibilitatem; ſiquidem res poſſibiles ex ſe aut in ſe ſunt poſſibiles, ſicut impoſſibilia ex ſe & in ſe ſunt impoſſibilia, vt ſuprà; quod ſemper verum eſt de poſſibili logico; eſt enim non repugnans; at non repugnans non poteſt fieri repugnans, ſicut repugnans non poteſt fieri non repugnans: De poſſibili verò phyſico, diſtinguendum eſt hoc pacto; ſi poſſibile phyſicum conſideretur quoad non repugnantiam, quam neceſſariò & eſſentialiter includit, tunc non dependet à Deo tanquam à cauſa efficiente, cum Deus nec efficere nec deſtruere poſſit non repugnantiam rerum, vt ſuprà; ſi verò poſſibile phyſicum conſideretur quoad carentiam actus entitatiui ſeu exiſtentiæ actualis, quoad potentiam entitatiuam intrinſecam ſeu capacitatem recipiendi actum entitatiuum aut exiſtentiam actualem, & quoad connotationem potentiæ actiuæ à qua poteſt recipere exiſtentiam actualem; tunc non dependet à Deo tanquam à cauſa efficiente productiua, cum non producat poſſibilitatem rerum, vt ſuprà; ſed dependet à Deo tanquam à cauſa efficiente deſtructiua; eò quòd Deus per creationem exiſtentiæ actualis deſtruat carentiam talis exiſtentiæ; & hinc fit vt quod exiſtit non poſſit dici poſſibile phyſicè pro eo inſtanti quo exiſtit; quia pro tali inſtanti non dicit carentiam actus entitatiui, cum qua neceſſariò eſt coniunctum: Attamen licet ex tali poſſibili fieri poſſit non poſſibile, non tamen fieri poteſt impoſſibile: quia omne impoſſibile eſt quidē non poſſibile, non tamen viciſſim omne non poſſibile eſt impoſſibile, putà quod actu exiſtit eſt non poſſibile phyſicè pro toto tempore quo actu exiſtit, non tamen eſt impoſſibile; ſic Deus eſt non poſſibilis, non tamen eſt impoſſibilis, quia non poſſibile

dicit tantùm carentiam poſſibilis aut poſſibilitatis, quæ poſſibilitas, cum dicat multa, poteſt tolli per carentiam vnius duntaxat: Imò poſſibile & impoſſibile in eo conueniunt quòd vtrumque dicat carentiam actus entitatiui ſeu exiſtentiæ actualis; cum ea tamen differentia, quòd impoſſibile dicat illam carentiam exiſtentiæ neceſſariò & eſſentialiter, quæ, ſcilicet nec poteſt nec potuit nec poterit vnquam tolli; ac proinde dicit negationem vtriuſque potentię, tum entitatiuæ intrinſecæ, tum actiuæ extrinſecæ, nec reſpicit actum entitatiuum ſeu exiſtentiam actualem cuius prorſus incapax eſt: at verò poſſibile dicit quidem carentiam exiſtentiæ actualis, non tamen eſſentialiter & neceſſariò, ſiquidem tolli poteſt per poſitionem exiſtentiæ actualis, cuius eſt priuatio; ac proinde dicit vtramque illam potentiam entitatiuam quidem intrinſecè, actiuam verò extrinſecè, & tendit aut refertur ad actum entitatiuum; at quod exiſtit actu non habet carentiam actus entitatiui; ergo nec eſt poſſibile, nec impoſſibile, ſed non poſſibile: hinc fit vt impoſſibile ſit neceſſariò impoſſibile, & quod ſemel eſt impoſſibile eſt ſem per impoſſibile; ergo ex poſſibili non poteſt fieri impoſſibile, poteſt tamen fieri non poſſibile. Dixi poſſibile phyſicum non pendere a cauſa efficiente productiua; quod intelligendum eſt de prima poſſibilitate, & ante vllam exiſtentiam rei; nam poſt exiſtentiam pendet aliquo modo à Deo tanquam à cauſa efficiente productiua; ſiquidem Deus poteſt deſtruere exiſtentiam actualem rei, & ſic aliquo modo producere eius poſſibilitatem per nouam poſitionem carentiæ exiſtentiæ actualis. Denique ad id quod dicitur poſſibile phyſicum eſſe limitatæ perfectionis, atque adeo habere cauſam: Reſpondetur, poſſibile phyſicè habere perfectionem ſicut entitatem, ſcilicet, perfectionem ſecundum quid & diminutam, & habere cauſam, non actu influentem, ſed quæ poteſt influere, non quidem in ipſum poſſibile vt poſſibile, ſed in actum entitatiuum cuius poſſibile eſt capax.

127. Contra hanc Reſponſionem ſic inſtat Neotericus. 1. Reſpondeo infrà ad argumenta quibus nititur probare poſſibilitatem independentem. 2. Dico poſſibilitatem logicam & phyſicam non diſtingui realiter intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè & penes diuerſa connotata: ſicut enim homo, ſiue conſideretur in ordine ad ea quæ non ſunt homo ſeu ad non hominem, ſiue ad carentiam veſtium ſemper manet idem intrinſecè: ſic poſſibilitas, ſiue conſideretur in ordine ad impoſſibilitatem, ſiue in ordine ad carentiam actus, ſiue ad poſſeſſionem actuum eſt ſemper eadem poſſibilitas, quæ ideo non poteſt deſtrui, licet eius connotationes quædam deſtrui poſſint, quod non eſt ipſam deſtrui; ſicut homo malè diceretur deſtrui, quando veſtis aut doctrina aut quiduis aliud accidentaliter ipſi adueniens deſtrueretur. 3. De perfectione ſecundum quidem dicendũ quod ſuprà theſi 7. de æternitate ſecundũ quid: Hoc tamen præterire non poſſum, cur poſſibile phyſicum dicatur habere cauſam, quæ poteſt influere non in poſſibile vt ſic, ſed in actum cuius eſt capax; quaſi quis diceret hominem quidem habere cauſam, quæ poteſt

teſt influere, non in hominem, ſed in doctrinam aut veſtem cuius eſt capax; quod formaliſſimè eſt non habere cauſam, ſed aliam rem diſtinctam habere cauſam.

128. Ad hanc inſtantiam reſpondetur primò, quòd ſicut falſum aurum non eſt aurum; ſic reſponſiones falſæ non ſunt reſponſiones: At ſuprà demonſtraui Reſponſiones Aduerſarij eſſe falſas & erroribus ſcatentes. Reſpondetur ſecundò, falſum eſſe poſſibilitatem phyſicam & poſſibilitatem logicam intrinſecè non diſtingui: Nam illa diſtinguuntur intrinſecè quæ poſſunt ſeparari, & quorum vno pereunte alterum permanet: ſed poſſibilitas logica & phyſica poſſunt ſeparari; & poſſibilitate phyſicâ pereunte per productionem rei poſſibilitas logica permanet: Ergo poſſibilitas phyſica & logica diſtinguuntur intrinſecè. Deinde, quod includit eſſentialiter carentiam actus diſtinguitur intrinſecè ab eo quod non includit eſſentialiter carentiã actus: ſed poſſibilitas phyſica includit eſſentialiter carentiam actus, non autem poſſibilitas logica: Ergo poſſibilitas phyſica diſtinguitur intrinſecè à poſſibilitate logica. Inſtantia igitur Aduerſarij probat tantùm poſſibilitatem logicam manere ſemper eandem, ſiue habeat actum entitatiuum ſeu exiſtentiam actualem, ſiue habeat carentiam eiuſmodi actus: Et ideo poſſibilitas logica eſt quid ſuperius reſpectu poſſibilitatis phyſicæ & actualitatis. Reſpondetur tertiò, poſſibile phyſicum, dicere in recto ipſum exiſtens, ipſam exiſtentiam, ipſum actum entitatium, vt ſuprà probaui; in obliquo verò dicere poſſibilitatem phyſicam: Cauſa autem poteſt influere in exiſtentiam affectam tali poſſibilitate, quæ poteſt terminare actionem cauſæ; non tamen in ipſam poſſibilitatem; id eſt cauſa poteſt influere in rem quæ eſt poſſibilis, & quæ eſt ipſe actus entitatiuus poſſibilis; ſed non poteſt influere in poſſibile vt poſſibile, id eſt in poſſibilitatem: Et ipſe actus entitatiuus qui concipitur poſſibilis, & qui eſt actus entitatiuus in conceptu, poteſt fieri actus entitatiuus in ſe; id eſt, id quod concipitur quando concipitur actus entitatiuus, & qui iam eſt poſſibilis, poteſt produci & fieri actus entitatiuus ſeu actu exiſtens in ſe: Et inde patet quàm inepta ſit comparatio τῦ poſſibilis cum homine & doctrina eius; debebat potiùs comparare poſſibile cum docto, & dicere patrem docti influxiſſe in doctum, id eſt, in eum qui eſt doctus, generando ipſum; non tamen in doctum vt doctum, id eſt, in doctrinam quàm doctus non habuit à Patre; Et pariter dicere cauſam influere poſſe in rem quæ eſt poſſibilis, & quæ eſt ipſe actus poſſibilis, non tamen in ipſam poſſibilitatem.

129. Obiectio quinta eſt talis. Omnis conditio coarctat ſenſum propoſitionis, ita vt copula non ſignificet connexionem prædicatorum niſi pro tempore quo adimpletur conditio; verbi gratiâ hæc propoſitio, ſi Petrus reddit vnicuique ſuum iuſtus eſt, nullum omnino ſignificat aut ponit iuſtitiam in Petro, quandiu non reddit vnicuique ſuum: Ergo etiam ex eo quòd ſi res exiſteret, aut Deus vellet eam producere nulla ſequeretur repugnantia, eiuſmodi non repugnantia nihil omninò

Digitized by Google

ponit in re ante aduentum exiſtentiæ.

130. Reſpondetur, falſum eſſe conditionem ita ſemper coarctare ſenſum propoſitionis, vt copula non ſignificet connexionem prædicatorum, niſi pro tempore quo adimpletur conditio; Nam licet hoc ſit verum quando prædicata antecedentis & conſequentis ſunt reciproca, vt in exemplo allato de iuſto & de reddente vnicuique ſuum, vel quando habent neceſſariam connexionẽ inter ſe & cum ſubiecto antecedentis, vt ſi Petrus eſt homo eſt animal; Non tamen eſt verum, ſi prædicatum conſequentis habeat neceſſariam connexionem cum ſubiecto, non autem prædicatum antecedentis, vt ſi homo eſt albus eſt corporeus, quia omnia alba ſunt corporea; corporeum enim aliquid eſt in homine, & ponit aliquid in ipſo ante purificationem conditionis, id eſt antequam homo fiat albus: Et de hoc quæſtio eſt duntaxat; ſiquidem non repugnans habet neceſſariam conexionem cum re poſſibili, & exiſtentia actualis non habet neceſſariam connexionem cum re vt poſſibili, cum poſſibile phyſicè poſſit eſſe & non eſſe. Ideo in hac propoſitione, ſi alter mundus exiſteret non eſſet repugnans, non repugnantia eſt aliquid in altero mundo, & ponit entitatem aliquam ſecundum quid, & diminutam, quam non habet chimæra impoſſibilis; & ponit eam antequam mundus exiſtat actu in ſe.

131. Tota Inſtantia Aduerſarij conſiſtit in hoc quod non repugnantia & exiſtentia ſint vnum & idem, atque adeo ſint prædicata reciproca.

132. Reſpondetur primò, non repugnantiam rei, ſeu rem non eſſe repugnantem eſſe quid complexum diſtinctum ab exiſtentia, quæ eſt incomplexa, vt dictum eſt ſuprà. Reſpondetur ſecundò, rem, eſſentiam rei, exiſtentiam rei, realitatem, & actualitatem eſſe prorſus vnum & idem; & non repugnantiam, non incluſionem prædicatorum contradictoriorum, & poſſibilitatem logicam, non differre; Rurſus res, eſſentia, exiſtentia, & actualitas, vel conſiderantur in eſſe obiecti, vel in eſſe rei; Eſſe obiecti ſic explicatur, id quod concipitur quando concipitur res, id quod concipitur quando concipitur eſſentia, id quod concipitur quando concipitur exiſtentia, id quod concipitur quando concipitur actualitas; eſſe verò rei eſt res in ſe actu producta & exiſtens: Res, aut exiſtentia in eſſe obiecti; modò eſt actualis, id eſt, in ſe actu producta & exiſtens; modò eſt poſſibilis phyſicè ſeu producibilis tantùm; ſemper tamen poſſibilis logicè, non repugnans, & non includens prædicata contradictoria, ſiue in ſe ſit actu producta & exiſtens, ſiue non: Res verò aut exiſtentia in eſſe rei, eſt res in ſe producta & exiſtens. Iam non repugnantia, non incluſio prædicatorum contradictoriorum aut poſſibilitas logica, coniuncta cum poſſibilitate phyſica; eſt tantùm ens ſecundum quid, diminutum, & imperfectum: licet ſit perfecta non repugnantia, perfecta non incluſio prædicatorum contradictoriorum, & perfecta poſſibilitas logica; & ideo talis non repugnantia diſtinguitur ab exiſtentia in ſe actu producta & exiſtente, ratione poſſibilitatis phyſicæ, imò & ratione non repugnantiæ, quæ fuit ante

exiſtentiam

exiſtentiam prout in ſe actu productam, licet non fuerit ante exiſtentiam vt poſſibilem.

133. Obiectio ſexta eſt eiuſmodi: Infinitum non habet æquale: Sed duratio Dei eſt infinita in ratione durationis: Ergo non habet æquale in ratione durationis; & ideo non datur eiuſmodi intrinſeca poſſibilitas, habens durationem æqualem durationi Dei vt ſic. Aduerte τὸ vt ſic, quod præcidit omnes differentias inter vtramque durationem, non cadentes ſupra conceptum durationis.

134. Reſpondetur, durationem eſſe modum exiſtentiæ; & ideò ſicut Deus habet exiſtentiam ſimpliciter, abſolutam, & perfectam; Et poſſibilitas intrinſeca creaturæ habet tantùm exiſtentiam ſecundum quid, diminutam & imperfectam: Ita Deus eſt infinitus in ratione durationis ſimpliciter, abſolutæ, perfectæ; Et poſſibilitas intrinſeca creaturæ eſt infinita in ratione durationis ſecundum quid, diminutæ & imperfectæ.

135. Obiectio ſeptima ſic ſe habet: Poſſibilitas intrinſeca deſtruit libertatem indifferentiæ Dei: velit enim Deus eligere Eſauum & reprobare Iacobum non poterit: quia vel Iacobus habet eligibilitatem intrinſecam, vel non habet; idem dic de Eſauo: ſi neuter habet, neuter poterit eligi; ſi Iacobus ſolus habet, ſolus poterit eligi. Dices vtrumque habere eligibilitatem & reprobabilitatem, ſed libertatem Dei verſari circa exhibitionem actus. Sed contrà eſſe eligibile & non eligibile ſunt contradictoria: ſed eſſe reprobabile eſt eſſe reiicibile, eſt eſſe reiicibile eſt eſſe non eligibile: Ergo eſſe eligibile & reprobabile ſunt contradictoria & incompoſſibilia. Adde quòd eſſe eligibile eſt eſſe præferibile alteri: ſed ſi Iacobus ſit præferibilis Eſauo, non erit Eſauus præferibilis Iacobo; ſicut ſi Petrus eſt doctior Paulo, Paulus non poterit eſſe doctior Petro: Ergo vterque non poteſt eſſe eligibilis. Et reuera, ſicut ſi Deus volens producere, debet inuenire producibilitatem intrinſecam: Etiam volens præferre, debebit inuenire præferibilitatem intrinſecam: Et ſic quis non videt corruere libertatem Dei.

136. Reſpondetur, Iacobum & Eſauum habuiſſe eligibilitatem & reprobabilitatem: Cùm autem Aduerſarius dicit, *eſſe eligibile & non eligibile ſunt contradictoria*; vel per non eligibile intelligit quod non poteſt eligi, & ſic eligibile & non eligibile ſunt contradictoria; vel per non eligibile intelligit quod poteſt non eligi, & ſic eligibile & non eligibile non ſunt contradictoria; nam ad contradictionem requiritur vt negetur quod affirmatum eſt; at eligibile eſt quod poteſt eligi; ergo eius contradictorium eſt quod non poteſt eligi. Cùm addit, eſſe reiicibile eſt eſſe non eligibile, vel intelligit reiicibile poſſe non eligi; & ſic verum dicit, ſed nihil ad rem, cum agatur de contradictorio τοῦ eligibilis: vel intelligit reiicibile non poſſe eligi; & ſic falſum dicit; quod enim poteſt reiici, poteſt etiam eligi. Cùm etiam addit, *ſi Iacobus ſit præferibilis Eſauo, non erit Eſauus præferibilis Iacobo*, falſum dicit: Nam Deus qui liberè prætulit Iacobum Eſauo, poterat præferre Eſauum

Iacobo; non potuiſſet autem præferre Eſauum, niſi Eſauus fuiſſet præferibilis; alioquin potuiſſet præferre Eſauum, qui tamen non poterat præferri. Comparatio allata ab Aduerſario his verbis *ſicut ſi Petrus eſt doctior Paulo, Paulus non poterit eſſe doctior Petro*, eſt proſus inepta: quæſtio enim eſt de poſſibili, comparatio verò eſt de actu; debebat igitur inſtituere comparationem hoc pacto, ſicut ſi Petrus poteſt eſſe doctor Paulo, Paulus non poteſt eſſe doctior Petro; at ſic falſum dixiſſet, cum Petrus poſſit eſſe doctior Paulo, & Paulus poſſit eſſe doctior Petro. Denique, verum eſt, quòd ſicut ſi Deus volens producere, debet inuenire producibilitatem intrinſecam; etiam volens præferre, debet inuenire præferibilitatem intrinſecam; & inde nemo videt corruere libertatem Dei præter Neotericum, qui fortè confundit præferibile cum præferendo ſeu præferibile logicè cum præferibili ethicè, id eſt, quod poteſt præferri cum eo quod debet præferri.

137. Obiectio octaua ſic formatur ab Aduerſario: Eadem poſſibilitas intrinſeca deſtruit prouidentiam Dei, ſapientiam, iuſtitiam, & miſericordiam, & omnia ineuitabili fato committit: velit enim Deus dirigere euentus mundi, verbi gratiâ deſtinare Carolum II. Regem Angliæ hoc anno; non poterit, niſi habeat deſtinabilitatem & præferibilitatem alijs: Item non poterit amare niſi inueniat amabilitatem; conferre gratiam, niſi ſit gratiabilitas intrinſeca, & ſic de alijs.

138. Reſpondetur, falſam, & proſus ineptam eſſe illationem Aduerſarij, dum ait poſſibilitatem rerum intrinſecam deſtruere attributa Dei, illúmque ineuitabili fato ſubiicere; at (inquit diſputator noſter) Deus non poteſt ſecundum te amare obiectum niſi obiectum ſit amabile, quid tum? an ideo Deus amabit fatali neceſſitate obiectum, quia obiectum eſt amabile? ſanè ſi obiectum eſſet amabile ethicè, hoc eſt ſi amore dignum eſſet, amor Dei in illud ferretur neceſſariò, (qua neceſſitate, non opus eſt hîc diſputare) ſed cum ſupponamus obiectum tantùm amabile logicè, id eſt quod poſſit ſimpliciter amari; non video cur amor Dei in illud neceſſariò ferri debeat; ſicut enim actio productiua Dei non fertur neceſſariò in id quod eſt producibile, cum producibile poſſit non produci; ita etiam amor Dei non fertur neceſſariò in id quod eſt amabile, cum amabile logicè poſſit etiam non amari. Diſcat igitur Aduerſarius, rem eandem ſine contradictione poſſe amari & poſſe non amari non dico poſſe amari & non poſſe amari, quæ ſunt contradictoria, & miror diſputatorem noſtrum qui tam alta ſapit de gratia & prædeſtinatione non aduertiſſe quæ Theologi de ſtatu Integritatis vulgò prædicant, nempe hominem potuiſſe peccare & potuiſſe non peccare abſque vlla contradictione; etiamſi poſſe peccare & non poſſe pecare ſint oppoſita contradictoriè. Eodem modo philoſophandum de deſtinabilitate & gratiabilitate.

139. Sic refutatis Aduerſarij reſponſionibus, & eius obiectionibus tam facile diſſolutis: quis iam non mirabitur iactantiam eius dicentis in prima theſi ſe hanc materiam à nemine huc vſque plane diſcuſſam

ventilare

Digitized by Google

ventilare fuiſſe ſollicitum. Non vidit proculdubio ſcripta Suaris, Albertini, Arriagæ, Ouiedi, Tellis, Pontij, Raconis, & aliorum, qui tam doctè de ea materia ſcripſerunt, vt Theſes eius cum eorum ſcriptis comparatæ, meræ nugæ videantur.

140. Sententiâ Auicennæ refutata, ſupereſt vt reliquorum magni nominis Philoſophorum ſententias proponamus, & quid in ijs ſit reprehendendũ breuiter exponamus. Richetus & Tartaretus in 1. diſt. 15. & 36. exiſtimarunt ante rerum exiſtentiam in tempore productam, res produci per actus intellectus diuini ſecundum quoddam eſſe intelligibile abſolutum intrinſecum ipſis creaturis, quod quidem eſſe importat quidditatem ſeu eſſentiam rei, non exiſtentem à parte rei, ſed tantùm in intellectu diuino, & ab eo ſem intellectu productam. Itaque tria aſſerunt 1. quod hoc eſſe abſolutum ſit eſſe intelligibile, quia ante actum intellectus diuini, creatura non habebat rationem obiecti intelligibilis, & quia non erat eſſentia extra Deum producta, quæ eſt fundamentum intelligibilitatis. 2. Quòd hoc eſſe abſolutum ſeu eſſe intelligibile ſit ratio formalis creaturæ ad exiſtendum. 3. Quòd tale eſſe ſit eſſe ſecundum quid, maius ente rationis aut puro nihilo, minus verò ente reali ſimpliciter, & ideo ſit ens diminutum.

141. Hanc ſententiam impugnat Ouiedus in Metaph. Controuerſia 2. Puncto 1. his verbis. Cognitio diuina præciſè ex eo quod tendat in obiectum, ſi ex illa non oriatur alia actio, nullum illi tribuit eſſe, vt patet in chimæra cognita à Deo, quæ poſtquam eſt cognita, æquè non eſt ac ſi non fuiſſet cognita, & æquè manet purum nihil: quòd ſi præciſè cognitio obiecti aut eſſe obiectiuum in actu ſecundo rei cognitæ, aliquid intrinſecum eſſe daret rei cognitæ; hoc acciperet chimæra; illudque haberet eo modo quo illud dicuntur habere reliqua obiecta realia ſecundum hanc ſententiam. Nec potes dicere, chimæram non accipere hoc eſſe, quia non eſt poſſibilis; Cum enim in tua ſententia poſſibilitas rei dicat eſſe productum in mente diuina ; chimæra quæ acciperet hoc eſſe in mente diuina ex eo quòd cognoſceretur, acciperet poſſibilitatem, ſicut illam accipiunt aliæ entitates quæ poſſibiles dicuntur, quæ antecedenter ad cognitionem diuinam, ex vi cuius ſecundum hanc ſententiam accipiunt poſſibilitatem, poſſibiles non ſunt.

142. Contra hanc impugnationem Ouiedi, dico verum quidem eſſe, cognitionem obiecti nullum illi tribuere eſſe intrinſecum, ſed tantùm extrinſecum, ſcilicet denominationem extrinſecam cogniti: At huius rei probationem malè petit ex cognitione chimæræ; Nam chimæra eſt impoſſibilis, & impoſſibile eſt purum nihil, purum autem nihil non poteſt cognoſci, cum non poſſit formari imago puri nihili, nec poſſit dici quomodo ſe habeat imago puri nihili: Cum igitur cognitio chimæræ, quæ eſt purum nihil, ſit impoſſibilis; malè ex cognitione chimæræ impugnatur ſententia Richeti & Tartareti. Chimæram autem, & alia entia rationis impoſſibilia, non poſſe cadere ſub intellectum ſiue humanum, ſiue diuinum, fusè demonſtrauimus in Metaphyſica

dum de ente rationis varijs argumentis, quibus hoc addi poteſt: Eadem eſt ratio omnium impoſſibilium: At quadratum eſſe rotundum, ens eſſe non ens, non ens eſſe ens, &c. ſunt impoſſibilia, quæ non poſſunt concipi: Ergo, &c.

143. Meliùs igitur ſententia iſta Richeti & Tartareti impugnatur hoc pacto. Primò, ratio obiectiua in actu primo, ſeu intelligibilitas quâ aliquid eſt intelligibile dicit aliquid intrinſecum rei; & intelligibile dicit aliquid intrinſecum, tum in recto, tum in obliquo: Nam ponatur aliquid cui ratio obiectiua ſeu intelligibilitas inſit, putà ponatur homo qui eſt intelligibilis, in recto dicit entitatem ipſius hominis, in obliquo verò dicit potentiam obiectiuam ſeu intelligibilitatem; homo enim intelligibilis nihil aliud eſt quàm homo qui poteſt intelligi, ſeu eſt homo hac potentia intelligibilitatis inſtructus; quæ potentia alicui ineſt, non intellectui, ſiue diuino, ſiue humano; ergo ineſt obiecto; atque adeo eſſe intelligibile, tum in recto, tum in obliquo dicit aliquid intrinſecũ; & per conſequens res ex ſe eſt intelligibilis, non autem per cognitionem ſeu intellectionem, niſi remotè, vt ſuprà. Secundò, nihil eſt formaliter intrinſecè in ipſo Deo quod non ſit Deus; cum Deus ſit ens ſimpliciſſimum: At Creaturæ non ſunt ipſe Deus: Ergo creaturæ non habent aliquod eſſe productum ab intellectione diuina, quod formaliter exiſtat in ipſo Deo, ſed ad ſummum eminenter, virtualiter, & repræſentatiuè. Tertiò, Creaturæ ex ſe habent poſſibilitatem intrinſecam, ſaltem logicam, vt ſuprà: Ergo habent ex ſe intelligibilitatem intrinſecam: Ex ſe enim habent aliquid quod purum non ens aut purum nihil non habet: At purum non ens ſeu purum nihil eſt impoſſibile, vt ſuprà, & ex ſe non eſt intelligibile, vt probaui dum de ente rationis: Ergo ens ex ſe eſt poſſibile & intelligibile, non autem per intellectionem diuinam, niſi remotè.

144 Rodericus de Arriaga Ieſuita celeberrimus in ſua metaphyſica diſp. 2. Sect. 1. ſubſect. 1. & 4. ſententiam ſuam proponit his verbis. Duplex eſt in rebus poſſibilitas, alia remota, proxima alia: Poſſibilitas remota eſt quæ in ſuo conceptu non includit duo prædicata contradictoria; hæc poſſibilitas eſt omninò intrinſeca ipſis rebus, eſtque fundamentum vt poſſit ſupra illas cadere denominatio potentis fieri ab omnipotentia Dei; & ratione huius differt intrinſecè ens reale à chimærico; Et quando inquirimus, vtrum aliquid poſſit fieri à Deo, an non? Inquirimus primò, an illud habeat hanc poſſibilitatem remotam, id eſt, an eius conceptus obiectiuus includat duo contradictoria; ex quo inferimus fieri poſſe, vel non: Ecce hæc poſſibilitas, etiam in abſtracto, non prouenit formaliter ab omnipotentia Dei, ſed à ſeipſa; alioqui nulla eſſet ratio cur omnipotentia Dei potiùs denominaret Petrum poſſibilem quàm chimæram, ſi in illis non aſſignaretur differentia intrinſeca, ratione cuius vna poſſet ſubeſſe tali denominationi, non verò altera, &c. Quod patet euidenter (inquit) nam in conceptu Entis quod poteſt exiſtere, concipio logicam poſſibilitatem ad exiſtendum; hanc autem

autem non poſſum explicare in ordine ad omnipotentiam Dei, quia tunc abſtraho à Deo. Poſſibilitas proxima in eo conſiſtit, vt illa res non includens duo prædicata contradictoria in ſuo conceptu, poſſit abſolutè poni extra cauſas; & hæc denominatio neceſſariò prouenit formaliter à cauſa potente eam rem producere: Ex his ergo intelliges, Aduerſarios non bene ſentire, ſi omnem poſſibilitatem dicant prouenire formaliter ab omnipotentia Dei; ſi verò loquantur tantùm de proxima poſſibilitate eſt verum. Poſtea ſubſect. 2. & 3. Explicat poſſibile in recto & in obliquo, eodem modo quo nos ſuprà explicauimus. Tandem ſubſect. 4. ſuam ſententiam ſic exponit: Ens poſſibile dupliciter poteſt ſumi; vel pro poſſibili logicè, quo pacto etiam res actu exiſtentes ſunt poſſibiles; vel pro re in potentia pura, ſeu pro purè poſſibili, & non exiſtente actu; & vtramque poſſibilitatem in præſenti explicare intendimus. Poſſibile logicè conſiſtit in eo, quòd ſi exiſtat talis res, non ſequentur ex ea duo contradictoria; hominem verbi gratiâ eſſe poſſibilem, nihil eſt aliud, quàm quod ſi ponatur à parte rei ſignificatum per vocem homo, non ſequentur duo contradictoria. Per hanc autem conditionalem rectè redditur ratio cur poſſit Deus producere homines, non verò chimæras; quia ſcilicet ſi exiſtere ſignificatum per vocem *homines*, non ſequerentur duo contradictoria, ſecus verò ſi exiſteret chimæra. Cæterùm, licet quando inquirimus an aliquid ſit poſſibile, inquiramus an includat duo contradictoria? τὸ tamen *includat*, vt in vero ſenſu accipiatur, non poteſt ſumi pro verbo de præſenti, abſolutè ſignificante actualem incluſionem; res enim non exiſtens ſimpliciter & abſolutè non poteſt includere duo prædicata contradictoria; vnde quoad hoc, etiam chimæra non includit ea duo prædicata contradictoria actu & abſolutè; quia ſi actu non exiſtit, nec actu ea includit: Debet ergo illud verbum ſumi conditionalè, id eſt, ſi exiſteret talis res non includeret duo contradictoria. Ens in potentia prout condiſtinctum ab exiſtente, ſeu poſſibile phyſicè dicit pro materiali ipſum ens poſitiuum cum prædicta negatione conditionali prædicatorum contradictoriorum; vnde rectum poſſibilis logicè, poſſibilis phyſicè, & actu exiſtentis idem eſt; poſſibile verò phyſicè addit ſupra hoc, non habere abſolutè talem exiſtentiam, & conſequenter nec talem carentiam prædicatorum contradictoriorum; Exiſtens verò abſolutè dicit illud exiſtere, & illam negationem prædicatorum contradictoriorum: quare non differunt in rebus quas dicunt, ſed in modo quo eas dicunt. In eadem ſententia ſunt Suarez, Ouiedus, & alij ferè omnes Ieſuitæ.

145. In hanc ſententia hæc redarguenda eſſe cenſeo. Primò, falſum eſt denominationem poſſibilis phyſicè neceſſariò prouenire formaliter à cauſa potente eam rem producere: Nam licet poſsibile phyſicè & potens ſint relata quæ ſe mutuo ponunt & tollunt, & à ſe mutuo dependent tanquam à concomitantibus, cum vnum non poſsit eſſe ſine altero, vt ſuprà: Attamen propriè loquendo vnum non denominatur ab altero; ſiquidem poſsibile ſeu producibile eſt denominatio intrinſeca & effectus

formalis poſſibilitatis ſeu producibilitatis, quæ eſt in re, non in Deo; & ideò poſſibile non eſt denominatio extrinſeca deſumpta à potentia actiua ſeu productiua, niſi abuſiuè; nam potentia actiua ſeu productiua eſt forma denominans, cuius effectus formalis ſeu denominatio eſt potens aut productiuum duntaxat, non autem poſſibile ſeu producibile, niſi abuſiuè. Quare, licet poſſibile ſeu producibile ſupponat potens ſeu productiuum, quod eſt extrinſecum ipſi poſſibili aut producibili; non tamen dicendum eſt poſſibile ſeu producibile eſſe rei extrinſecum: ſicut enim eſſe potens aut productiuum eſt denominatio intrinſeca, licet ſupponat poſſibile ſeu producibile, quod ipſi potenti ſeu productiuo eſt extrinſecum: Ita eſſe poſſibile ſeu producibile eſt denominatio intrinſeca, licet ſupponat potens aut productiuum, quod ipſi poſſibili ſeu producibili eſt extrinſecum.

146. Secundò, falſum eſt poſſibile logicè conſiſtere in eo quòd ſi exiſtat talis res non ſequentur duo contradictoria: licet enim verum ſit, quòd ſi poſſibile logicè exiſtat, non ſequentur duo contradictoria: attamen poſſibile logicè in hoc non conſiſtit: Nam ſiue tale poſſibile logicè exiſtat actu, ſiue non; ſemper hoc habet, nempe non includere contradictoria prædicata. Cum poſteà hæc addit, *licet quando inquirimus an aliquid ſit poſſibile, inquiramus an includat duo contradictoria? vò tamen (includat) non poteſt ſumi pro verbo de præſenti abſolutè ſignificante actualem incluſionem*, falſum dicit, vt patet ex verbis eius immediatè ſequentibus: *Res enim (* inquit *) non exiſtens abſolutè non poteſt includere duo prædicata contradictoria*; ſi autem non poteſt includere, proculdubio non includit actu. Deinde, cum addit, *chimæram non includere duo prædicata contradictoria actu, quia ſi actu non exiſtit, nec actu ea includit:* Dico chimæram, & alia impoſſibilia, ex ſententia Aduerſarij, poſſe concipi; & in conceptu ſuo inuoluere actu prædicata contradictoria, vt patet in homine irrationali, quadrato rotundo, &c. Imò ſi impoſſibile exiſteret, poſſet exiſtere, & eſſet poſſibile, & deſineret eſſe impoſſibile; & ideo non includeret actu prædicata contradictoria. Præterea, cùm addit, *poſſibile phyſicè non habere abſolutè talem exiſtentiam, & conſequenter nec talem carentiam prædicatorum contradictoriorum:* Dico verum quidem eſſe, poſſibile phyſicè non habere abſolutè talem exiſtentiam, ſcilicet exiſtentiam actualem; at falſum eſt non habere actualem carentiam prædicatorum contradictoriorum: Nam poſſibile phyſicè actù caret prædicatis cantradictorijs, alioquin ea actù haberet: Ergo habet talem actualem carentiam. Tandem ſub ſect. 5. hanc ſextam obiectionem ſibi proponit: *Aliqua ſunt propoſitiones æternæ veritatis, putà homo eſt animal rationale, quæ ſunt veræ abſolutè, non autem conditionatè duntaxat; ſiquidem ab æterno homo eſt animal rationale, etiamſi actu non exiſtat.* Reſpondet autem hoc pacto: *Dicendum eſt ab æterno hominem tam non fuiſſe quàm non fuit chimæra, aut entia alia ficta.* ſed ſolùm potuiſſe eſſe, quod non *eſt fuiſſe, ſicut me poſſe eligi in Regem non eſt me eſſe Regem: Dico ergo, ab æterno homo potuit eſſe animal rationale, non tamen fuit; & tam eſt falſum ab*

æterno

æterno homo eſt animal rationale, quàm homo eſt albus : quia ab æterno, quandoquidem non ſunt, tam non identificatur animal rationale cum homine, quàm non vnitur homo cum albedine. Contra hanc Reſponſionem, dico primò, hanc propoſitionem homo eſt animal rationale, eſſe ab æterno veram abſolute: Nam in hac propoſitione, verbum *Eſt*, denotat tantùm identitatem ſeu potiùs non diſtinctionem inter hominem & animal rationale; certum eſt autem hominem & animal rationale ab æterno non habuiſſe diſtinctionem, atque adeo ab æterno fuiſſe vnum & idem. Dico ſecundò, falſum eſſe, ab æterno hominem tam non fuiſſe quàm non fuit chimæra: Nam ab æterno homo fuit actu diminuto & imperfecto, quatenus fuit actu poſſibilis & producibilis in tempore; chimæra verò nunquam fuit, ſiue actu perfecto, ſiue actu diminuto & imperfecto.

147. Albertinus tomo 2. In prædicam. De ſubſtantia diſp. 1. Quæſt. 1. aſſerit eſſentias creaturarum non eſſe omnino nihil ante exiſtentiam; nec habere ſolùm eſſe potentiale in cauſa; ſed ab æterno habere eſſe intrinſecum, actuale, abſolutum, & quidditatiuum eſſentiæ ſuæ, quod eſſe habent independenter à Deo tanquam à cauſa efficiente, habent tamen illud dependenter à Deo tanquam à cauſa exemplari.

148. Hanc ſententiam Albertini impugnat Ouiedus in Metaph. Controu. 2. Puncto 1. his verbis. Primò, Illud eſſe actuale quod eſſentiæ habent independenter à Deo tanquam à cauſa efficiente, eſt neceſſariò finitum, & de ratione entis finiti eſt dependere à Deo tanquam à cauſa efficiente, à qua phyſicè recipiant eſſe. Verùm facilè reſponderet Albertinus, ens finitum dependere à Deo quoad eſſe actuale exiſtentiæ, non autem quoad eſſe actuale eſſentiæ.

149. Secundò (inquit Ouiedus) Implicat aliquid quod non eſt productum à principio effectiuo, dependere ab alio tanquam ab exemplari; quia exemplar eſt id ad quod reſpiciens agens operatur: Ergo vbi non intercedit agens à quo reſpiciatur exemplar, huius cauſalitas intercedere non poteſt: Sed illud eſſe actuale quod habent ab æterno eſſentiæ rerum, non dependet ab aliquo agente; vt vult Albertinus: Ergo nec ab aliquo exemplari. Verùm reſpondet Albertinus, Creaturam quoad eſſe eſſentiæ dependere à Deo tanquam à cauſa exemplari, in genere cauſæ formalis extrinſecæ: Sicut enim (inquit) imago Cæſaris dependet à Cæſare in genere cauſæ formalis extrinſecæ & exemplaris; ita vt ſi non poſſet eſſe Cæſar, non poſſet eſſe imago, quæ repræſentat ipſum, non autem è conuerſo: Ita dicendum in creaturis quòd ſecundum ſuum eſſe eſſentiale ſint imagines Dei; & Deus eſt exemplar earum, non practicum, ſed ſpeculatiuum: quare cum dicitur, quod agens operans reſpicit exemplar, id intelligendum de exemplari practico, non de ſpeculatiuo.

150. Tertiò (inquit Ouiedus) concipi nequit quid poſſit exiſtentia præſtare eſſentiæ, quæ independenter ab illa habet eſſe actuale in ſeipſa, ſeu quid deſideretur in illa eſſentia habente actuale eſſe in ſeipſa, vt formaliter dicatur per illud actuale eſſe: quia exiſtere nihil aliud eſt quàm

Digitized by Google

eſſe extra cauſas, & habere eſſe non ſolùm in potentia aut virtute cauſarum, ſed habere eſſe actuale extra virtutem cauſarum in ſeipſo; Sed eſſentiæ ab æterno habent eſſe actuale in ſeipſis extra potentiam cauſarum in ſententia Albertini: Ergo eſſentiæ ab æterno exiſtunt ſecluſâ exiſtentiâ ſuperadditâ. Verùm reſponderet Albertinus, exiſtentiam ab agente productam facere vt eſſentia dicatur exiſtens; ſicut albedo producta in pariete facit vt paries dicatur albus: facere vt res quæ habeat tantùm eſſe eſſentiæ, ſcilicet ſua prædicata eſſentialia, habeat etiam eſſe actuale exiſtentiæ: facere vt res quæ antea non poterat proximè operari, iam poſſit proximè operari: Cum verò dicitur eſſentiam habere eſſe actuale in ſeipſa, & nihil ampliùs deſiderari vt ſit exiſtens: reſponderet Albertinus, eſſentiam habere in ſeipſa eſſe actuale eſſentiæ, non autem eſſe actuale exiſtentiæ, quod deſideratur ad hoc vt eſſentia ſit exiſtens.

151. Quartò (inquit Ouiedus) ſi eſſentia dicit quoddam eſſe actuale antecedens exiſtentiam, & ab eà diſtinctum; ſequetur rem exiſtentem dicere quandam phyſicam compoſitionem ex illo eſſe actuali improducto & exiſtentiâ productâ; atque adeo entitatem exiſtentem dicere duo eſſe actualia, vnum eſſentiæ independens à Deo, & aliud exiſtentiæ dependens à Deo. Verùm reſponderet Albertinus, hæc omnia eſſe vera, & explicare ſententiam ſuam.

152. Quintò (inquit Ouiedus) ſi eſſentia hominis ab æterno habet eſſe actuale, etiamſi careret exiſtentiâ, ſaltem de potentia abſoluta, poſſet etiam non exiſtens operari ab æterno; quia illi defuiſſet tantùm conditio requiſita ad operandum, videlicet exiſtentia, quam Deus ſupplere poſſet, ſicuti ſupplere poteſt approximationem, aliáſque eiuſmodi conditiones. Verùm reſponderet Albertinus, exiſtentiam actualem eſſe conditionem neceſſariam rei ad operandum: Et licet poſſit ſupplere defectum aliquarum conditionum, non tamen omnium, putà exiſtentiæ, vbicationis, &c.

153. Sextò obiiciunt alij, nihil aliud à Deo eſſe ens neceſſarium formaliter: Sed talis eſſentia eſſet ens formaliter neceſſarium: Ergo vel non eſt, vel eſt Deus. Verùm reſpondet Albertinus, Neceſſarium eſſentiæ differre à Deo, qui eſt neceſſariò exiſtens, & omnino independens: Creatura verò ſecundum eſſe exiſtentiæ ab æterno nihil eſt, & eſt contingens; ſecundum verò eſſe eſſentiæ eſt dependens à Deo, ſaltem in genere cauſæ exemplaris: Et ſic Creatura non poteſt gloriari quòd habeat ex ſe aliquid, quia dependet quoad eſſentiam à Deo in genere cauſæ exemplaris, & quoad exiſtentiam in genere cauſæ efficientis.

154. Meliùs igitur ſententia Albertini impugnatur hoc pacto. Primò, eſſentia & exiſtentia rei non diſtinguuntur realiter intrinſecè: Ergo ſi eſſentia ab æterno habeat eſſe actuale in ſeipſa, etiam exiſtentiæ ipſum habebit, quod tamen eſſe falſum admittit Albertinus. Antecedens ſic probatur ad hominem: Ideo exiſtimat Albertinus eſſentiam rei diſtingui ab exiſtentia, quia eſſentia non habet neceſſariò exiſtentiam, ſed aliquando exiſtit, aliquando non exiſtit; & conſequenter videtur quòd

quando

quando exiſtit, habeat aliquid per quod exiſtat diſtinctum realiter à ſeipſa, quod non habuit quando non exiſtebat: Sed etiam ipſa exiſtentia rei, id eſt id quod concipitur quando concipitur exiſtentia rei, non ſemper neceſſariò exiſtit, ſed aliquando exiſtit, aliquando non exiſtit: Ergo ipſa deberet habere aliam exiſtentiam per quam exiſtat, ſi valeat illud principium: hoc autem eſt abſurdum: Ergo illud principium non valet.

155. Reſpondetur communiter, quòd exiſtentia poſſit exiſtere ſine alia exiſtentia, quia exiſtentia eſt ratio formalis exiſtendi; eſſentia verò non poſſit exiſtere ſine exiſtentia diſtincta, quia non eſt ratio formalis exiſtendi: Et ſicut vnio non requirit aliam vnionem, quia eſt ratio formalis vniendi; extrema verò, quæ ſunt vnita, requirunt vnionem ab ipſis diſtinctam, quia non ſunt ratio formalis vniendi: Ita exiſtentia non requirit aliam exiſtentiam, quia eſt ratio formalis exiſtendi, eſſentia verò requirit exiſtentiam ab ipſa eſſentia diſtinctam, quia non eſt ratio formalis exiſtendi.

156. Contra hanc Reſponſionem, dico Albertinum colligere eſſentiam non eſſe rationem formalem exiſtendi, ex eo quòd poſſit exiſtere & non exiſtere: Sed exiſtentia etiam poteſt exiſtere & non exiſtere: Ergo debet colligere quòd non ſit ratio formalis exiſtendi: Et ſi vnio poſſet eſſe indifferens ad vniendum, ſicut extrema; non poſſet habere rationem formalem vniendi magis quàm extrema: Ergo ſi exiſtentia tam eſt indifferens ad exiſtendum & non exiſtendum quàm eſſentia, non erit potiùs ratio formalis exiſtendi quàm eſſentia. His adde quod licet eſſentia, id eſt id quod concipitur quando concipitur eſſentia poſſit exiſtere actu in ſe, & poſſit non exiſtere actu in ſe: attamen eſſentia nunquam eſt ſine exiſtentia; eſſentia actualis ſine exiſtentia actuali, eſſentia poſſibilis ſine exiſtentia poſſibili, & eſſentia æterna habens eſſe diminutum ſine exiſtentia æterna habente etiam eſſe diminutum.

157. Dices, eſſentiam rei poſſe concipi quin concipiatur res exiſtere; exiſtentiam verò rei non poſſe concipi quin concipiatur res exiſtere; & ideo exiſtentia eſt ratio formalis exiſtendi, non autem eſſentia. Sed contra primò, falſum eſt exiſtentiam rei non poſſe concipi, quin res concipiatur exiſtere in ſe actu; licet non poſſit concipi, quin res concipiatur exiſtere, ſiue actu, ſiue potentiâ, ſiue vt ſic & præciſè. Secundò inde tantùm colligi poteſt, quòd eſſentia & exiſtentia differant conceptu, id eſt quòd poſſint formari diuerſi conceptus de eſſentia & exiſtentia eiuſdem rei, de quo conſule Metaphyſicam meam, de principijs entis paginâ 81. Non autem quòd diſtinguantur realiter.

158. Rurſus probatur eſſentiam & exiſtentiam non diſtingui realiter; quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: Sed nulla eſt neceſſitas diſtinguendi eſſentiam & exiſtentiam eiuſdem rei: ſicut enim poteſt conſtitui ipſa exiſtentia exiſtens actu abſque aliquo ſuperaddito realiter; ita & eſſentia: Et ſicut cõſtitueretur exiſtentia in actu per hoc quod terminaret actionem cauſæ producentis, quam ſeipſa poſſet realiter terminare abſque aliquo diſtincto: Ita etiam conſtitueretur eſſentia

Digitized by Google

actu exiſtens per hoc quod terminaret talem productionem , quam etiam ſeipsâ poſſet terminare non minùs quàm exiſtentia , ſine aliquo diſtincto ſuperaddito. Alias rationes pro identitate reali eſſentiæ & exiſtentiæ , vide in mea Logica dum de vniuerſalibus ; & in mea Metaphyſica , dum de eſſentia & exiſtentia ; vbi etiam obiectiones in contrarium ſoluuntur.

159. Impugnantur ſecundò ſententia Albertini hoc pacto. Ideo ſecundum Albertinum Res dicuntur habere eſſe actuale eſſentiæ ante exiſtentiam , quia dantur propoſitiones æternæ veritatis , putà homo eſt animal rationale , Ignis eſt elementum calidum , &c. quæ propoſitiones non poſſunt fieri de puro nihilo , ſed de re aliqua , quæ ab æterno eſt aliquid , non ſecundum eſſe actuale exiſtentiæ , ſed ſecundum eſſe actuale eſſentiæ. At de exiſtentia dantur propoſitiones æternæ veritatis ; putà ſecundum Albertinum quòd exiſtentia ſit actus eſſentiæ ; quòd exiſtentia ſit ratio conſtitutiua rei , vel extra nihil ſimpliciter , vel extra ſuas cauſas ; quod exiſtentia non ſit quid fictum & chimæricum, &c. quæ propoſitiones,cum non poſſint fieri de puro nihilo , ſequitur exiſtentiam eſſe aliquam rem ab æterno;& ſic nihil dici de eſſentia quod non dicatur de exiſtentia.

160. Impugnatur tertiò ſententia Albertini ex eo quod eadem ratio militet in cauſa exemplari & efficiente : Cur enim Deus , vt exemplar, eſſet imitabilis & participabilis à lapide , & non à chimæra ? id eſt cur lapis eſſe exemplabilis,non autem chimæra ? Non poteſt dici hoc prouenire ex defectu cauſæ exemplaris diuinæ, quæ eſt infinitè imitabilis: Ergo inexemplabilitas oritur intrinſecè ex chimæra,& exemplabilitas oritur intrinſecè ex lapide.

FINIS

Digitized by Google